6283

Ex Libris

M. Medichi

J. M. J. Th.

COLLECTIO PRINCIPALIUM DEFINITIONUM DIVISIONUMQUE

Spectantium ad Universam Moralem Theologiam,

Necessaria, & perutilis iis, qui se exponere cupiunt ad Sacramentales Confessiones audiendas.

EDITIO QUINTA,

Superiorum Permissu.

BERDICOVIÆ
Typis Fortalitii B. V. MARIÆ
MDCCLXXXIV.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

CONcedemo Licenza á Sebastiano Colletti Stampatore di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Collectio Principalium Definitionum* &c. già stampato in Venezia del 1726. con Licenza de Superiori.

Data li 14. Novembre 1740.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a carte 66.

Agostino Fianchi Segretario.

DE
CONFESSARIO.

Quot sunt conditiones boni Confessarii?

SUnt quinque, Potestas, Scientia, Bonitas, Prudentia, & Sigillum. Nam sine potestate invalide absolvit, sine scientia nescit quid faciat, sine bonitate, & prudentia Pænitentibus nequit prodesse, & sine sigillo Sacramentum reddit onerosum. Ita P. Rot. part. 1 cap. 1. n. 2.

Quid est Potestas Ecclesiastica?

Est Auctoritas commissa sacerdotio in collatione Ordinis, seu etiam extra respective faciendi id, de quo ei potestas conceditur.

Quotuplex est Potestas?

Duplex est, Ordinis una, Jurisdictionis altera.

Quid est Potestas Ordinis?

Est Potestas conficiendi Christi corpus, & conferendi etiam Sacramenta.

Quid est Potestas Jurisdictionis?

Est facultas respective in aliquibus excommunicandi, absolvendi ab excommunicatione, dispensandi, conferendi Indulgentias, leges Ecclesiasticas condendi &c. & generaliter in omni sacerdote absolvendi a peccatis mortalibus,

non tamen reſervatis propriis ſuperioribus.

Quotuplex eſt Poteſtas Jurisdictionis?

Triplex eſt, ordinaria, delegata, & à jure conceſſa.

Ordinaria eſt illa, quæ eſt in ſummo Pontifice, & deinde in Epiſcopis, ac etiam in quolibet Curato.

Delegata eſt illa, quæ eſt in quolibet ſacerdote approbato, ac admiſſo a proprio Ordinario.

A Jure conceſſa eſt in quolibet ſacerdote aſſumpto a Perſona habente Privilegium vel facultatem a jure eligendi ſibi Confeſſarium, qui eum abſolvere poſſit ab omni & quolibet peccato.

Quam ſcientiam debet habere Confeſſor?

Sufficientem ad diſcernendum peccatum mortale a veniali, quod eſt ad diſcernendum inter lepram, & lepram, & ad ſciendum dubitare in arduis.

Quam vitæ bonitatem habere tenetur?

Talem, ne ſuo malo exemplo impediat volentes, & debentes pænitere, & ne exerceat ſuum Officium in peccato mortali.

Quam Prudentiam?

Talem, quæ conſulat indemnitati animæ pænitentis, & propriæ, & ſuæ,

nec

nec ſigillum frangat, nec ſuſpicionem pariat, nec peccata nutriat; & foveat, & iſta eſt principalis conditio in Confeſſario.

Quod ſigillum?

Tale, ut nullum peccatum unquam aliqua quavis advenente cauſa, ſeu quovis imperante, etiam ſub pœna, & expreſſo mortis periculo, ſeu etiam intereſſe ſalutis, & conſervationis totius Mundi, abſque peculiari licentia, & commiſſione Pænitentis, idque raro, & maxima rationali cauſa, neque in levibus, nec tamen unquam contra Pænitentem, aut in præjudicium cujusquam quovis modo detegat.

Iſta obligatio eſt de jure Divino, & naturali, quod colligitur ex verbis Libri Proverbiorum c. 11. n. 12. *qui ambulat fraudulenter, revelat arcana.* Vide Navarrum cap. 8. de ſigil. Conf. num. 2. eſt etiam de Jure Eccleſiaſtico, ut colligitur ex Greg. cap. Sacerdos de Pænit. dub. 6, habetur cap. omnis utriusque Ita Fernandez par. 3. cap. 6. §. 9. n. 26.

Quid eſt ſigillum Sacramentale?

Eſt obligatio ſtrictiſſima, in omni caſu obligans, ad ſecreta retinendi ea, quæ dicta ſunt in ordine ad Sacramentalem abſolutionem.

Quænam differentia est inter sigillum naturale, & sigillum Confessionis?

In multis differunt: inprimis Sacramentale sigillum est etiam naturale; sed non e contra naturale est Sacramentale, ideoque fortius obligat sigillum Sacramentale, quam naturale, cum naturale possit aliquando violari, ut quando in detrimentum Proximi vergeret, vel in damnum publicum, vel commune tam temporale, quam Spirituale: sed sigillum Sacramentale, seu Confessionis ita obligat, ut in nullo vitæ casu, nec etiam pro tuendo Rege, vel liberando toto Orbe ab injusta conflagratione, infringi potest; & quamvis universa Ecclesia, & fides tota Christiana per impossibile periret, nisi Sacramentale sigillum reveletur, & etiamsi summus Pontifex præciperet Confessionem revelari, nam Præceptum sigilli, ne injuria fiat Sacramento, strictius obligat alio quovis præcepto, non solum Papæ, sed etiam totius universalis Ecclesiæ, quia fractio hujus sigilli est intrinsece mala, nec ulla de causa cohonestari potest, ut docet D. Thomas in addit. qu. xi. art. 14. & alii plures.

Quomodo se gerere debet Confessarius in audiendis Confessionibus?

Pri-

Primo debet aliqua exequi ante Confessionem, quædam in actuali Confessione, quædam denique post ipsam.

Confessarius quid agere debet ante Confessionem?

Primo petere debet si Pænitens habeat aliqua impedimenta impedientia absolutionem, puta an sciat se habere aliquam Censuram Ecclesiasticam.

2. An habeat aliquod peccatum reservatum, an vota, an teneatur ad aliquas restitutiones faciendas sæpius Confessoribus promissas tam in rebus, quam in aliena fama, nec unquam adimpletas, maxime cum ei possibilitas adsit.

3. In quo statu sit, an solutus, an Conjugatus, an Dominus, an servus, & cujus Professionis, scilicet an Mercator &c. & sic examinare debet illum circa proprium statum ad agnoscendum in quo deliquerit, & in quo non.

4. Quandiu est, quod non est confessus; si unquam oblitus est, aut malitiose retinuit aliquod peccatum, seu ex verecundia, aut ignorantia, & negligentia crassa & culpabili.

5. Si fecit diligens examen propriæ conscientiæ, maxime circa peccata illi familiariora, & frequentiora, & circa statum, & Professionem propriam.

6. Si habet dolorem Contritionis, aut ſaltem neceſſariæ attritionis, & veram diſplicentiam peccatorum ob Divinam offenſam.

7. An proponat omnino ab illis, & quovis peccato abſtinere, aut ſi reciduare intendit.

8. Scrupulum facere ei debet de Peccato mortali, ſi reperiatur neſcire rudimenta Fidei, & Divina mandata ſaltem in genere & confuſe.

Quomodo ſe gerere debet in actuali Confeſſione?

Primo, antequam Pænitens interrogetur de peccatis, induci debet ad fatendum omnia, quæ novit, & recordatur, ut ſic; caute debet eum interrogare, ne ex interrogationibus Pænitenti non convenientibus incidat in aliquod inconveniens, puta aperiendo illi malitiam ſeu cognitionem alicujus peccati a ſe non perpetrati, nec forte cogniti.

2. Debet eum interrogare de omnibus circumſtantiis mutantibus ſpeciem, vel aggravantibus in infinitum peccata mortalia ab illo perpetrata.

3. De numero, ſpeciebus, frequentatione, & an illis uſus ſit alicujus opera, ſeu alios ipſe docuerit, ſuaſerit, conſuluerit, & ſimilia perquirere debet.

4.

4. Debet considerare an Pænitens sit conscientiæ erroneæ, & nimis scrupulosæ, necne.

5. Investigare debet de occasionibus peccatorum, an maneant, & perseverent in illos, seu sublatæ omnino sint.

6 Interrogare debet Pænitentem de tempore, & antiqua consuetudine, qua consuevit hujusmodi peccata patrare.

7. Opposita oppositis curando, & applicando, tradere illi debet remedia, & præcepta pro detestandis, & relinquendis peccatis, & eorum occasionibus.

8 Pro brevitate illum cum prudentia examinare debet in rebus conditionis & status sui, seu exercitiis, & in omnibus spectantibus ad peccata enarrata, & in aliis, quæ opportuna judicaverit, ac tandem secum diligenter perpendere communes infrascriptas conditiones examinandas in purgatione Conscientiæ cujuslibet peccatoris, videlicet

Quis in Persona; *quid* in qualitate delicti; *Ubi* pro loco; *Per quos* videlicet complices, *Cur*, ideſt finem, & intentionem, *Quoties* in numero; *quomodo* quo ad modum & èorum diversitatem; *Quando* ex differentia temporis.

Quid agere debet Confessor post Confessionem?

Primo suadere debet Pænitentem teneri omnino ad detestationem peccatorum omnium.

2. Ad Pænitentiam peragendam pro viribus suis.

3. Omni meliori modo compossibili, illi Pænitentiam salutarem accomodare debet pro sui ipsius emendatione, & peccato rum extirpatione.

4. Monere debet agendam quantocyus esse Pænitentiam, & maxime antequam denuo in peccatum mortale reincidatur, ad hoc ut sit satisfactoria coram Divina Justitia, &Bonitate.

5. Assignatam Pænitentiam Pænitenti commutare debet, cum ex justa causa illam adimplere non possit.

6. Debet eum Sacramentaliter absolvere juxta facultatem illi traditam.

Notandum tamen est, quod Confessarius non tenetur semper istas omnes interrogationes adhibere erga Pænitentes sed tantum eas, quas ipse pro temporis opportunitate, judicaverit expedire

DE SOLLICITATIONE.

Quid est sollicitatio?

Est provocatio Pænitentis ad turpia, sive verbis, sive factis.

Quodmodis potest Confessarius sollicitare?

Quin-

Quinque modis.
Primo immediate ante Confessionem.
Secundo in actu Confessionis.
Tertio immediate post Confessionem.
Quarto occasione Confessionis.
Quinto prætextu Confessionis.

Nota insuper, quod incidunt in pænas Bullæ Gregorii XV. contra sollicitantes illi Confessarii, qui in Confessionario habuerint cum Pænitentibus illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus.

A quo potest absolvi Confessarius sollicitans?

Confessarius sollicitans potest absolvi a quocumque simplici Confessario, dummodo non sit casus reservatus in diæcesi. Mulier sollicitata, vel Homo sollicitatus non potest absolvi si transierit tempus præscriptum in edicto Inquisitorum, quod ordinarie est duodecim dierum.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Quid est Sacramentum?

EST signum sensibile rei sacræ sanctificantis animam a Christo Domino institutum.

Quid est Sacramentale?

Est omnis consecratio, vel Benedictio, vel significatio ordinata ad ali-

quod Sacramentum; vel est actus externus religionis, ad colendum Deum accomodatus.

Quis est Auctor Sacramentorum novæ legis?

Christus Dominus, ut colligitur ex Conc. Trid. sess. 7. can. 1. Habetur c. ad abolendam de hæret. Ita DD. communiter, quos refert Fern. part. 3. de Sacr. in genere.

Quis est effectus in generali Sacramentorum?

Effectus communis est gratia. Omnia enim Sacramenta novæ legis gratiam effective animis suscipientium sine obice infundunt. Ita definitum fuit in Conc. Florent. & in Trid. sess. 7. can. 6. Hanc infundunt ex opere operato, ut loquuntur Theologi, hoc est ex vi solius Sacramenti, æqualem omnibus, nisi adsit aliquod obex ex parte recipientis.

Quæ, & quot, causæ concurrunt in Sacramentis?

Sex, videlicet causa efficiens, & est solus Deus

Causa Materialis, & est elementum sensibile.

Causa Formalis, & sunt verba determinata.

Causa Finalis, & est Divina gratia,

Causa meritoria, & est Passio Christi.

Ministerque tandem habens intentionem.

Quænam sunt Sacramenta, quæ conferunt primam gratiam?

Sunt duo, scilicet Baptismus, & Pænitentia.

Quare Baptismus, & Pænitentia conferunt primam gratiam?

Quia ista duo Sacramenta non supponunt hominem in gratia, sicut cætera Sacramenta, quæ conferunt augmentum gratiæ habitualis.

Quænam sunt Sacramenta, quæ dicuntur mortuorum?

Item pariter Baptismus, & Pænitentia.

Quare dicuntur Sacramenta mortuorum?

Quia accedentes ad hæc duo Sacramenta sunt mortui gratiæ, cum ipsam non habeant. At quia accedentes ad alia Sacramenta debent esse in gratia, ideo præter Baptismum, & Pænitentiam cætera Sacramenta non dicuntur mortuorum, sed vivorum.

Sacramenta vivorum conferunt ne aliquando primam gratiam?

R. quod sic v. g. quando peccator accedit attritus existimans se bona fide esse in statu gratiæ absque peccato mortali, quia de Divina clementia credi potest,

quod voluerit sic accedenti conferri primam gratiam.

Quæ considerantur, & recipiuntur in unoquoque Sacramento?

Tria, scilicet Sacramentum, res, sive effectus, quæ est gratia, & res, & Sacramentum simul, qui est character.

Quid est valide, & licite administrare Sacramenta?

Valide administrare Sacramenta est conjungere formam Sacramentalem materiæ cum debita intentione.

Licite vero est, quando Sacramentum administratur modo inculpabili, & sine peccato; potest autem contingere, quod Sacramenti administratio sit valida, & non licita; non vero quod sit licita, & non valida.

Mutatio materiæ, & formæ invalidat ne Sacramentum?

Mutatio substantialis materiæ invalidat, nullumque reddit Sacramentum; non sic vero mutatio accidentalis. Pro quo sciendum est, quod

Tunc substantialiter mutatur materia, quando adhibetur res, quæ non censetur ejusdem rationis, ut si in Baptismo adhiberetur vinum pro aqua.

Mutatio accidentalis materiæ est eadem res, quæ adhibetur in Sacramen-

to, licet non ſit perfecte eadem cum illa, quæ præſcribitur, non eſt tamen diverſæ rationis ac ſpeciei; ut ſi adhiberetur àqua càlida loco aquæ frigidæ: Panis fermentatus loco Panis azimi.

Mutatio ſubſtantialis formæ contingit, quando verba non retinent amplius eundem ſenſum.

Mutatio accidentalis formæ contingit, quando ſenſus verborum adhuc ſubſiſtit, licet verba non ſint omnino eadem, ac ea, quæ præſcripta ſunt.

Quot ſunt Sacramenta?

Sunt ſeptem, videlicet: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema Unctio, Ordo Sacer, & Matrimonium.

DE EFFECTU PRIMARIO SACRAMENTORUM, NEMPE DE GRATIA.

Quid eſt gratia?

ESt donum ſupra naturæ vires hominibus conceſſum in ordine ad aſſequendam æternam Beatitudinem, & ut in Deum finem ſupernaturalem inducantur

Quoduplex eſt gratia?

Multiplex eſt videlicet

1. Gratia operans, & eſt illa, quæ præparat hominis voluntatem, ut velit bonum.

2. Gratia cooperans, & est illa, quæ adjuvat hominis voluntatem, ne frustra velit.

3. Gratia præveniens, & est ipsamet gratia operans, quæ voluntatem hominis prævenit, liberat, & præparat, ut velit bonum.

4. Gratia subsequens, & est ipsamet gratia cooperans, quæ comitatur & adjuvat hominis voluntatem ne frustra velit.

5. Gratia gratis data est illa, quæ sine ullis meritis datur, vel per quam quis cooperatur aliis, scilicet precibus, consiliis &c. ad conjunctionem cum Deo, vel ut reducatur ad Deum.

6. Gratia gratum faciens, seu justificans est illa, quæ non solum gratis præstatur à Deo, sed & justificat, atque hominem gratum reddit Deo, ex peccatore justum, ex impio gratum, & amicum Dei constituit.

7. Rursus Gratia gratum faciens dividitur in Gratiam primam, & est illa, quæ confertur homini existenti in peccato mortali.

8. Gratia secunda est illa, quæ advenit homini existenti in gratia, & vocatur augmentum gratiæ, quia supponit gratiam primam.

9 Gratia habitualis eſt gratia gratum faciens, & eſt effectus communis omnium Sacramentorum.

10 Gratia Sacramentalis ſunt auxilia quædam actualia, quæ Deus intuitu Sacramenti olim ſuſcepti ſuo tempore confert, ut homo poſſit conſequi finem, ob quem eſt inſtitutum tale Sacramentum. Et ſicuti diverſa ſunt Sacramenta, ita Deus in illis tribuit diverſas gratias, ſeu auxilia.

Quonam tempore Sacramenta conferunt gratiam?

Sacramenta cauſant gratiam, quando ſunt in eſſe completo Sacramenti, ſcilicet in eo ultimo inſtanti intrinſeco, in quo materia, & forma habent perfectam ſignificationem, ad quam ſunt inſtituta.

DE EFFECTU SECUNDARIO, NEMPE DE CHARACTERE.

Quid eſt Character?

Est ſignum ſpirituale in anima impreſſum indelebiliter manens de potentia Dei ordinaria.

Quare dicitur indelebiliter manens?

Quia Character nullum habet contrarium, per quod auferatur; eſt enim voluntas Dei quæ ſtatuit, quod nunquam deleatur, etiam poſt mortem.

Et ſicut diverſa ſunt Sacramenta, ita diverſi ſunt Characteres; nam Character, qui confertur in Baptiſmate, eſt ille, per quem deſtinatur ad recipienda alia Sacramenta; in confirmatione eſt ille, per quem homo fit aptus ad eliciendos actus virtutis, præſertim fidei; in Ordine tandem eſt ille, quo quis deputatur ad actiones hierarchicas; quæ ſunt adminiſtrationes Sacramentorum.

DE INTENTIONE.

Quid eſt intentio requiſita ad conficienda Sacramenta?

EST voluntas determinata faciendi id, quod intendit Chriſtus, vel quod facit Eccleſia in conficiendis Sacramentis.

Quotuplex eſt intentio?

Intentio triplex eſt, ſcilicet actualis, virtualis, & habitualis.

Intentio actualis, quæ omnium perfectiſſima reputatur, eſt illa, ſecundum quam Miniſtrans, vel conficiens Sacramentum actu, & formaliter intendit Sacramentum conficere, vel miniſtrare, vel etiam quando Miniſter actualiter advertit ſe miniſtrare, vel conficere Sacramentum.

Intentio virtualis eſt illa, quæ cum paulo

paulo ante extiterit, nec revocata, nec retractata fuerit, censetur moraliter perseverare in actibus externis connèxis, & ordinatis ad Sacramentum conficiendum: si quis v. g. habeat intentionem celebrandi, seu conficiendi Eucharistiæ Sacramentum, & accedat ad Ecclesiam, manus lavet, sacras induat vestes, pergat ad Altare, licet postea in ipso consecrationis actu ex humana fragilitate distrahatur, nec pro illo tunc eliciat intentionem consecrandi, revera tamen consecrat, quia habet intentionem virtualem consecrandi, nam intentio, quam habuit ante celebrationem, & antequam pergeret ad Altare, moraliter durat in actibus aliis externis connexis, & ordinatis ad Sacramentum.

Intentio habitualis est illa, per quam quis ex iterata sæpius Sacramentorum administratione, aliquid facit, nulla præcedente intentione; vel si intentio præcessit, non perseverat tamen virtualiter, ex eo, quia censetur moraliter interrupta per opera disparata, v. g. si quis dormiens ex habitu requisito proferat formam absolutionis, dicitur ille habere intentionem habitualem, vel si quis externo die habuit intentionem baptizandi Puerum, si illum hodie ba-

pti-

ptizet absque nova intentione, dicitur ille talis habere intentionem habitualem, quia intentio externa die elicita per somnum, & alia plura opera dispa-rata, censetur moraliter interrupta.

Quænam ex istis intentionibus requiritur ad valide administranda Sacramenta?

Actualis est optima; virtualis est sufficiens; habitualis non sufficit, quia operans ex habitu, humano modo non operatur.

DE BAPTISMO.

Quid est Baptismus?

UT Sacramentum est, ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum à Christo Domino instituta.

Quotuplex est Baptismus?

Baptismus triplex est Fluminis, Flaminis, & Sanguinis.

Baptismus Fluminis jam supra definitus est.

Baptismus Flaminis est vehemens desiderium recipiendi Baptismum cum contritione de peccatis, in casu in quo de est commoditas illum recipiendi in re.

Baptismus sanguinis est Martyrium, & mors tollerata in amorem fidei Domini nostri Jesu Christi.

A quo institutus fuit Baptismus?

A Christo Domino, ut patet Matth cap. ult. quando dixit: euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Item Marci cap. 16. Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

Quænam est Materia remota, & quæ proxima hujus Sacramenti?

Materia remota est aqua naturalis; Proxima vero est ablutio, quæ fit mediante aqua naturali.

Quæ est Forma?

Forma vero sunt hæc verba: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Quis est Minister?

Minister hujus Sacramenti est Parochus tantum, vel alius Sacerdos eo concedente, & quilibet alius in casu necessitatis, servato dignitatis ordine.

Quot & qui sunt effectus Baptismi?

Effectus Baptismi sunt quatuor: videlicet.

Primus est remissio omnis culpæ tam originalis, quam actualis ante ipsum commissæ, & absoluta remissio pœnæ, ipsis culpis debitæ, ita Conc. Floren & Trid,

Secundus effectus est infusio gratiæ, ideo confert jus ad Regnum Cælorum;

Tertius effectus est Character.

Quartus est tollere omnem irregularitatem præter eam, quæ orta fuit ex Bigamia, & exceptis illis, quæ proveniunt ex defectu corporis. Ita Tol. lib. 1. cap. 89. n. 2. Insuper tollit omnem Infamiam: Ita docet Fern. cum aliis à se citatis in parte 3. c. 2. § 11.

DE CONFIRMATIONE.

Quid est Confirmatio?

EST Sacramentum novæ legis; quo homo Baptizatus, & viator inungitur per sacrum Chrisma in fronte manu Episcopi, sub præscripta verborum forma, ut confirmetur, & corroboretur in fide.

A quo fuit institutum hoc Sacramentum?

Secundum S. Tho. in 4. sent. dist. 7. à Christo, quando imposuit manus super pueros, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis 16. si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; & hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Joannis cap. 7. nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum

erat glorificatus. Conc. Trid. Sess. 7. can. 1.

Quæ est materia remota, & quæ proxima hujus Sacramenti?

Materia remota est Chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum admixto Balsamo cujuscumque loci sit benedicto ab Episcopo consecrato. Materia proxima est unctio facta in fronte Baptizati in formam Crucis.

Quæ est forma?

Forma Confirmationis sunt verba hæc ab Episcopo prolata: signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Quis est Minister?

Minister hujus Sacramenti est solus Episcopus.

Quot, & qui sunt effectus Confirmationis?

Effectus Confirmationis sunt tres, duo ex vi ipsius Sacramenti secundum se sumpti, tertius ex impositione Ecclesiæ. Effectus orti ex vi ipsius Sacramenti secundum se sumpti sunt gratia, & Character: effectus ex impositione Ecclesiæ est cognatio spiritualis eadem, quæ oritur ex Sacramento Baptismi. Ita decrevit Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. Ideo Patrinus debet esse unus, vel ad

sum-

summum unus, & una c. non plures de consecrat. dub. 5. *Notant.* Ang. Confirm. n. 1. Syl & Viguer. ibidem. Itidem Cognatio solum contrahitur inter confirmantem, confirmatique Patrem, ac Matrem, & inter suscipientem, & susceptum, susceptique Parentes. Assumere vero in hoc Sacramento Patrinum est de necessitate præcepti, quod transgredi est peccatum mortale. Docent Sylvest. Confirmatio ibidem, & alii relati à Fernandez in 3. par. cap. 3. § 6.

DE EUCHARISTIA.

Quid est Eucharistia?

Est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum.

Differt ab aliis Sacramentis 1. quia alia Sacramenta sunt signa sensibilia rei sacræ sanctificantis animam, scilicet gratiæ, Eucharistia vero non solum significat gratiam, sed Christum Auctorem Gratiarum. 2. quia nullum Sacramentum confert gratiam per modum cibi nutrientis, conservantis, & propagantis vitam spiritualem in Baptismo receptam, sicuti facit Eucharistia.

A quo fuit hoc Sacramentum institutum

A Chri-

A Christo Domino, quando in die Cænæ sub specie panis, & vini administravit discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex eo omnes, hic est enim calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Matth. 26. de consecr. dist. 2. cap. panis; & Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. & 2. sess. 21. cap. 1. & 3.

Quæ est materia remota, & quæ proxima hujus Sacramenti?

Materia remota est panis & vinum, Materia proxima est species panis, & vini. Ita Busemb. tract. 3. de Eucharistia cap. 1. dub. 2. fol. 427.

Quæ, & quotuplex est forma?

Forma duplex est, una panis, altera vini: Panis est: hoc est enim corpus meum; Vini vero est: Hic est enim calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatornm.

Quis est Minister proprius, & legitimus hujus Sacramenti?

Solus Sacerdos rite ordinatus, nec

impeditus est Minister consecrans, & distribuens hoc Sacramentum.

Quot sunt effectus?

Sunt quatuor; scilicet gratia cum donis, & virtutibus. Spiritualis refectionis, Præservatio a peccatis. Vitiorum extinctio.

Quot requiruntur ad sumptionem hujus Sacramenti?

Tria scilicet elevatio mentis in Deum; munditia corporalis; & immunitas à peccato. Ultimum requiritur de necessitate, alia duo non, sed de congruitate.

Quot modis suscipitur hoc Sacramentum?

Quatuor modis, scilicet corporaliter? spiritualiter, sacramentaliter, & corporaliter, sacramentaliter, corporaliter & spiritualiter simul.

Primo corporaliter, seu materialiter, ut si Infidelis sumeret Eucharistiam, non credens ibi esse corpus Christi verum.

Secundo spiritualiter, ut si Fideles audiant Missam cum devotione, cum desiderio suscipiendi Eucharistiam.

Tertio sacramentaliter, & corporaliter, ut Christiani, qui sumunt Eucharistiam in peccato mortali.

Quarto sacramentaliter, corporaliter, & spiritualiter simul, qui cum charitate, & gratia, devotione, & fide existen-

ſtentes recipiunt iſtud Sacramentum ſine peccato, qui ex tali perceptione recipiunt gratiam in hoc mundo, gloriam in Paradiſo.

DE MISSA.

Quid eſt Miſſa?

EST conſecratio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, ejusque oblatio, & ſumptio cum cæremoniis ad illam pertinentibus tam ante, quam poſt conſecrationem.

A quo inſtituta fuit Miſſa?

A Domino Noſtro Jeſu Chriſto, quando p nei m n Corpus & vinum in ſanguinem tranſmutavit. Unde Petrus Apoſtolus primo Antiochiæ celebravit. Jacobus autem Apoſtolus Epiſcopus Hieroſolymitanus, & Baſilius Cæſarienſis tradiderunt nobis ordinem celebrandi eam, ut habetur de conſ. diſt. 1. c. Jacobus, & Conc. Trid. ſeſſ. 22 c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1.

Quid eſt Sacrificium?

Eſt actus Latriæ, quo aliquid offertur, & conſumitur in proteſtationem ſupremi Domini Dei, & ſignum noſtræ ſervitutis.

Quotuplex eſt ſacrificium Miſſæ?

Triplex eſt propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium.

Dicitur propitiatorium, quatenus confert offerenti augmentum gratiæ, & au-

xilii ejusdem, nisi ponatur obex, ad contributionem, & amorem Dei super omnia eliciendum, & etiam ex D. Thoma in 4. dis. 12. q. 1. ad 1. ex consequenti delet venialia.

Dicitur impetratorium, quia impetrat nobis à Deo beneficia spiritualia, & temporalia; & licet non semper Deus concedat nobis ea, quæ in Missa petimus, hoc ideo fit, quia non semper expedit animarum saluti sic præsto esse concedendo ea, quæ petuntur.

Dicitur satisfactorium, quia satisfacit pro pæna debita in Purgatorio nostris peccatis deletis per gratiam quoad culpam, non quo ad totam rationem pænæ.

Quot sunt effectus sacrificii?

Sunt tres: Primus est augere gratiam; secundus impetrare quæ petimus; tertius satisfacere pro peccatis; & isti effectus magis, vel minus communicantur, juxta mensuram dispositionis, & fervoris in quo est sacerdos.

Quot sunt partes essentiales sacrificii Missæ?

Sunt tres, Consecratio, Oblatio, & Consumptio.

Oblatio duplex est, altera panis, & vini, quæ fit in Offertorio, altera post consecrationem qua offertur corpus Christi, & ejus sanguis Patri Æterno, & hæc

est

eſt eſſentialis; prima enim ad hanc ſecundam ordinatur.

Conſecratio eſt actio, qua fit res ſacra, ſcilicet qua ſacerdos Nomine Chriſti, dum dicit, hoc eſt enim corpus meum, convertit panem in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem.

Conſumptio, ſeu conſummatio eſt actio, qua corpus, & ſanguis Chriſti poſitum per conſecrationem, & oblationem in honorem Dei & animarum ſalutem, manducando deſtruitur, & ceſſat eſſe ſub illis ſpeciebus, ſub quibus antecedenter erat.

Valor ſacrificii Miſſæ eſt finitus, vel infinitus?

Valor ſacrificii ex parte principalis offerentis, & victimæ oblatæ, eſt infinitus; ex parte Miniſtri, & effectus producendi finitus eſt.

Quotuplex eſt ſacrificii Miſſæ valor, ſeu fructus?

Triplex eſt: Valor generalis, qui toti Eccleſiæ debetur: Valor ſpecialis, qui ſacerdoti celebranti eſt debitus; & Valor medius applicabilis illi, pro quo offertur ſacrificium.

Quomodo percipitur iſte valor.?

Dupliciter, ſcilicet ex opere operato, & opere operantis; primus corre-

ſpondet meritis Chriſti, & diſtribuitur ejus quantitas juxta inſtitutionem factam à Chriſto; ſecundus correſpondet fervori, & precibus peculiaribus, quas dicit ſacerdos in Miſſa nomine proprio, puta Memento, & ſimilia

DE PÆNITENTIA.

Quatupliciter poteſt ſummi Pænitentia?

DUpliciter, ut eſt Virtus, & ut eſt Sacramentum.

Quid eſt pænitentia ut Virtus?

Pænitentia ut Virtus eſt Virtus moralis ſupernaturalis, qua dolemus de peccatis commiſſis, quatenus ſunt offenſa Dei ex ſupernaturali motivo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Quid eſt pænitentia ut Sacramentum?

Eſt Sacramentnm abſolutionis, quo ſacerdos rite, & legitime ſibi confitentem abſolvit.

Quis inſtituit hoc Sacramentum?

Chriſtus Servator. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 14. ean. 1. probat Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 1. Illud vero Chriſtus Dominus inſtituit, quando poſt Reſurrectionem in Diſcipulos inſufflando dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Joan. 20, Math. 16. & 18. & alii.

Quæ

Quænam eſt materia remota?

Materia remota ſunt peccata actualia lethalia poſt Baptiſmum commiſſa, alias non rite confeſſa.

Quotuplex eſt materia remota?

Duplex eſt, alia ſufficiens, alia neceſſaria.

Materia ſufficiens ſunt peccata venialia, vel etiam mortalia, directe abſoluta, & confeſſa; & dicuntur materia ſufficiens, quia licet remittantur per abſolutionem, ſi clavibus ſubjicianter, non obligant tamen peccatorem ad hanc ſubjectionem, & confeſſionem.

Materia neceſſaria ſunt omnia peccata mortalia, poſt Baptiſmum, vel in receptione Baptiſmi commiſſa, non confeſſa, neque directe abſoluta; & dicuntur materia neceſſaria, quia neceſſario ſubdi debent abſolutioni, ut de ipſis obtineatur remiſſio.

Quæ eſt materia proxima?

Materia proxima ſunt tres actus Pænitentis, ſcilicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Notandum tamen eſt quod actualis ſatisfactio eſt par integralis, quia ita perficit ſacramentum, ut ſine ea ſacramentum habeat ſuum effectum eſſentialem, licet non totalem perfectionem; Propo-

ſitum vero ſatisfaciendi eſt pars eſſentialis.

Quæ eſt forma?

Sunt verba: Ego te abſolvo &c. quæ tantum verba ſunt de eſſentia ſacramenti, reliqua vero, quæ antecedunt, & ſubſequuntur, ſunt ad majorem congruitatem; grave peccatum tamen eſſet relinquere, a peccatis tuis, propter periculum invaliditatis ſacramenti. Ita P. Oct. à S. Joſeph. rit. 198, & alii ex Concil. Trid ſeſſ. 14. cap. 3.

Quis eſt miniſter proprius, & legitimus hujus Sacramenti?

Summus Pontifex, & poſt ipſum Archiepiſcopi &c. eſt poſt illos ſacerdos Curatus, deinde quilibet ſacerdos rite ordinatus, ad hoc ab Ordinario delegatus, & deputatus.

Quis eſt effectus hujus Sacramenti?

Eſt remiſſio peccati, & reconciliatio cum Deo.

DE MATERIA REMOTA, SCILICET DE PECCATO.

Quid eſt peccatum?

Eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra, vel præter legem æternam.

Quotuplex eſt peccatum?

Triplex Originale, Actuale & habituale

Quid

Quid est peccatum Originale?

Peccatum Originale est privatio justitiæ, & innocentiæ originalis, ob quam privationem nascimur Filii iræ. Ita Abelly, & Anacl. pepeccatis q. 1. n. 5.

Quid est peccatum actuale?

Est actus internus, vel externus contra legem æternam Dei.

Quotuplex est peccatum actuale?

Duplex mortale, & veniale.

Peccatum mortale est dictum, factum, concupitum contra legem æternam Dei.

Peccatum veniale est dictum, factum, vel concupitum præter legem æternam Dei.

Quid est peccatum habituale?

Est macula relicta in anima à Peccato actuali, seu est id, per quod homo transacta actione denominatur peccator.

Quotupliciter quis peccare potest?

Cogitatione, verbo, opere & omissione: iterum contra Deum, contra proximum, contra se ipsum.

Quid est peccatum Commissionis?

Est quando transgredimur aliquod Præceptum negativum, quod obligat semper & ad semper v. g. non furaberis, non occides.

Quid est peccatum omissionis?

Est quando transgredimur aliquod

præceptum affirmativum v. g. honoratis Parentes.

Quid requiritur ad hoc, ut quis sciat se commisisse peccatum?

Requiritur, quod cognoscat se habuisse plenam deliberationem, & advertentiam ad id, quod fecit, quia non est peccatum nisi voluntarium.

DE SEPTEM PECCATIS MORTALIBUS, EORUMQUE SPECIEBUS, & FILIIS.

Quod sunt peccata Mortalia;

SUnt septem, scilicet Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia. Gula, Ira, & Accidia.

Quid est superbia?

Secundum D. Tho. 2 .2. q. 262. art. 2. est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ contra regulam, & mensuram à Deo sibi præfixam.

Quot sunt species superbiæ?

Secundum Greg. 23. Moral. & D. Tho. 2. 2. 162. art 4. sunt quatuor: Prima, cum bonum, quod quis habet, a se habere existimat 2. cum existimat, quod a Deo habet, se pro suis meritis habere 3. cum se jactat habere, quod non habet 4. cum dispectis cæteris singulariter, videri appetit habere quod non habet.

Quot

Quot sunt Filiæ, seu rami Superbiæ?

Sunt tres Vanagloria, Præsumptio, & Ambitio.

Vanagloria est inanis cupiditas æstimationis ex manifestatione propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ.

Præsumptio est cupiditas aggrediendi aliquod magnum, & arduum supra proprias vires.

Ambitio est inordinata cupiditas dignitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris. Hinc ambitiosi, qui ex inordinato appetitu parati sunt per fas, & nefas dignitates acquirere, sunt in pessimo statu salutis. Ita P. Rotarius, p. 2. c. 4. n. 3 & alii.

Superbia quando est peccatum mortale & quando veniale?

Secundum D Th. 2. 2. q. 162. art. 5. quod Superbia consistit in hoc, quod aliquis extollit se supra id, quod est sibi prefixum a Divina regula. In hoc enim radix Superbiæ consideratur, quod homo aliqualiter non vult subdi Deo, & regulis ipsius: hoc ipsum autem, quod non vult subiici Deo, habet rationem peccati mortalis. Unde superbia secundum genus suum est peccatum mortale. Sicut tamen in aliis, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, pu-

ta in fornicatione, & adulterio, sunt aliqui motus, qui sunt peccata venialia propter imperfectionem eorum, quia præveniunt judicium rationis, & sunt præter ejus consensum; ita etiam circa superbiam accidit, quod aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dum eis homo plene non consentit.

Quid est avaritia?

Secundum D. Th 2. 2. q. 118 est inordinatus appetitus, seu amor habendi; vel Avaritia est rem suam illicitam retinere, & alia concupiscere.

Quot sunt Filiæ seu rami Avaritiæ?

Secundum D. Greg. in Moral. sunt septem, videlicet Proditio. Fraus, Fallacia, Perjurium, Violentia, Inquietudo, & obduratio.

Proditio est deceptio contra fidem datam, vel indebitam in damnum alicuius.

Fraus est, quando acquisitio cujuscumque rei fit cum dolo, & fallacia.

Fallacia est deceptio, & dolus in verbo ad decipiendum proximum sive in vendendo, sive in emendo.

Perjurium est veritatis fraudulenta abnegatio, scienter facta ad decipiendum aliquem, ad firmandum mendacium cum juramento.

Violentia est occupatio rei alienæ invito Domino.

Inquietudo est nimia sollicitudo circa divitias acquirendas, & cum cordis fervore exardescere, & plus invigilare quam decet.

Obduratio est, quando avarus obdurat, & confirmat cor suum, quod nihil dabit Pauperibus, nec misericorditer subveniet alteri.

Avaritia quando est peccatum, mortale, & quando veniale?

Secundum D. Th. 2. 2. q. 48. Avaritia potest acclpi dupliciter, uno modo quando aliquis accipiat, vel retineat injuste res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel ad furtum, & sic ex suo genere mortale est contingit tamen in hoc casu, quod etiam veniale sit propter imperfectionem actus, seu parvitatem materiæ, sicut de furto. Alio modo potest accipi avaritia secundum quod importat inordinatum amorem divitiarum, qui si tamen crescat, quod præferatur Charitati, in materia gravi, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi, tunc erit peccatum mortale; si autem inordinatio amoris in hoc consistat, ut scilicet homo,

mo, quamvis superflue divitias amet, non proferat earum amorem amori Divino scilicet, quod propter divitias non velit aliquid facere contra *Deum* & proximum, est peccatum veniale.

Quid est Luxuria?

Est libidinosæ voluptatis appetitus.

Quot sunt species Luxuriæ?

Sunt septem, nempe simplex Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & Vitium contra naturam; quæ species definiuntur in 6. Decalogi Præcepto.

Quot sunt Filiæ seu rami Luxuriæ?

Secundum Greg. in Moral. sunt octo, videlicet, Cæcitas mentis, Inconsideratio, Inconstantia, Præcipitatio, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, & desperatio futuri sæculi.

Cæcitas mentis est quando quis propter delectationem in hujusmodi venereis impeditur, & abstrahitur mente.

Inconsideratio est quando quis impeditur, & sopitur ratio hominis propter vehementem Luxuriam.

Inconstantia est quando quis propter delectationem in hujusmodi venereis retardatur, ne faciat, vel perficiat, bona quæ incepit facere, vel proposuit facere.

Præcipitatio est quando quis propter de-

delectationem in hujusmodi venereis impeditur consilium præstare in agendis.

Amor sui est quando quis nimis diligit seipsum quærendo delectationem corporis nimis, & quietem carnis.

Odium Dei est quando quis plus appetit perpetrare Luxuriam, & incurrere odium Dei, quam à Luxuria abstinere, vel abstrahere.

Affectus præsentis sæculi est, quando Luxuriosus in tantum delectatur remanere in Luxuria, quod vellet hic semper manere & vivere, nec curare de æterna vita.

Desperatio futuri sæculi est diffidentia gloriæ æternæ, & veniæ consequendæ

Luxuria quando est peccatum mortale, & quando veniale?

Secundum D Th. 2. 2. q 153. art. 3. Luxuria ex genere suò est peccatum mortale, quia est contra illud præceptum, non mæchaberis Exo. 20. ubi ex Aug. nomine mæchiæ omnis illicitus concubitus, scilicet extra Matrimonium, atque illorum membrorum non licitus usus intelligitur: si enim appetitus, vel usus venereorum fuerit secundum rationem, puta in debito actu conjugali, tunc non est peccatum; sed quomodocumque aliter fiat extra limi-

tes matrimonii semper est peccatum mortale: si copula Conjugalis habeatur solius voluptatis causa, tunc erit peccatum veniale, ut dixit Innoc. Papa XI. in Decreto de Prop. damnatis, num. 9.

Quid est Invidia?

Secundum Augustinum est odium felicitatis alienæ, vel secundum Dam. lib. 2. est quædam tristitia de alienis bonis.

Quot sunt Filiæ, seu rami Invidiæ?

Secundum Greg. in Moralibus sunt quinque, scilicet Odium, Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis Proximi nostri, Tristitia in prosperis.

Odium est velle malum alicui, & nolle bonum.

Susurratio est diminutio famæ alterius per verba secreta, & occulta.

Detractio est denigratio famæ alterius per verba manifesta, tamen in absentia ejus.

Exultatio in adversis est cum aliquis gaudet de adversitate, & damno proximi.

Tristitia in prosperis est dolor, & displicentia de Bonis, & prosperitate aliorum, quam non potest impedire.

Invidia quando est peccatum mortale, quando veniale?

Secundum D. Th. 2. 2. q. 36. Invidia secundum genus suum est peccatum mortale,

tale, quia contrariatur Charitati, quæ gaudet bono proximi; si tamen sit imperfecta ex defectu pleni consensus, vel adsit parvitas materiæ, scilicet in modo, sic est veniale peccatum.

Quid est Gula?

Secundum Augustinum, & D. Th. 2. 2. q. 128. art. 1. est inordinatus appetitus edendi & bibendi secundum gustum in cibo, & potu: Vel Gula est vorax edacitas naturæ finibus non contenta.

Quot sunt species Gulæ?

Secundum Greg. 20. Moral. sunt quinque, ut in hoc versu continentur, scilicet.

Propere, Laute, nimis, Ardenter, & studiose?

Propere, scilicet appetendo comestionem ante tempus.

Laute, scilicet quærendo cibos delicatiores.

Nimis, scilicet sumendo in quantitate immodica.

Ardenter, non servando modum debitum in edendo.

Studiose quærendo cibos nimis accurate præparatos.

Quæ sunt Filiæ, seu rami Gulæ?

Secundum Greg. in Moral. sunt sex, scilicet Ebrietas, Hebetudo mentis,

in

inepta lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, & Immundiria.

Ebrietas est privatio usus intellectus facta ad aliquod tempus ex immoderato potu vini, vel cujuscunque alicujus rei potabilis.

Hebetudo mentis est abstractio intellectus circa speculabilia, & agibilia propter nimiam sumptionem cibi, & potus.

Inepta lætitia est inordinata voluptas circa delectationem cibi, & potus.

Multiloquium est multitudo loqutionis cum superfluitate, vel præter utilitatem, vel necessitatem.

Scurrilitas est quando homo se inordinate ad exteriores actus ad modum jaculatoris habet.

Immunditia est vomitus procedens ex nimia inordinata comestione, vel potu; vel pollutio seminis proveniens ex nimia repletione.

Gula quando est peccatum mortale, & quando veniale?

Secundum D. Th. 2. 2. q. 148. si delectationi Gulæ inhæreat homo, tanquam fini, per quem Deum contemnit, paratus contra Dei præcepta agere, ut delectationes hujusmodi assequatur, sic est peccatum mortale. Si vero in Gula sit inordinatio, secundum ea, quæ sunt ad

finem

finem, utpote quia nimis concupiſcit delectationes ciborum, ſed propter hoc non vult facere aliquid contra legem Dei, ſic eſt veniale.

Quid eſt Ira?

Eſt accenſio ſanguinis circa cor propter appetitum vindictæ; ſeu eſt ſubita animi tempeſtas, quæ inordinate concurrit, cor hominis ad vindictam trahit.

Quot ſunt Filiæ, ſeu rami Iræ?

Secundus Gregorium in Moralibus ſunt ſex, nempe, Rixa, Tumor mentis Contumelia, Blaſphemia. Clamor, & Indignatio.

Rixa eſt contentio in factis, quando aliqui ex ira invicem ſe percutiunt.

Tumor mentis eſt quandoquis implicat mentem deliberate in variis modis, & viis, quibus poſſet proximum offendere.

Contumelia eſt quandoquis id, quod eſt contra honorem alicujus, deducit in notitiam ejus, & aliorum ſive per figura, ſive per verba.

Clamor eſt quando quis clamat contra aliquem confuſe, & inordinate, aut furioſe loquitur.

Indignatio eſt quando quis nec valet videre, nec audire eum, cui iraſcitur.

Blaſphemia eſt loqutio contra Deum,

eo

eo quod permittit aliquid nobis contrarium.

Ira quando est peccatum mortale, quando veniale?

Secundum D. Th. 2. 2. q. 158. Ira secundum genus suum est peccatum mortale, quia contrariatur Charitati, & justitiæ, dum appetitur injusta vindicta. Potest talem esse veniale propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio, vel est ex parte appetentis, puta cum motus Iræ prævenit Judicium rationis, vel est ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliqua re modica se vindicare, ita quod si actualiter inferat, non est mortale, puta si parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi, potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi, ut puta si nimis ardenter irascatur interius, vel nimis manifestat exterius signa Iræ, & sic secundum se ex suo genere non habeat rationem peccati mortalis. Potest tamen contingere, quod sit mortale, ut si ex vehementia iræ quis moveatur ad odium Dei, vel Proximi, & præbeat eidem consensum.

Quid est Accidia?

Secundum Bernardum est animi quidam

dam languor, cum legere non libet, orare non delectat, meditationes sollicite insequi non vacat.

Quot sunt Filiæ, seu rami Accidiæ?

Secundum Greg. 31. Moral. sunt sex, scilicet Malitia, Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor circa præcepta, & Evagatio mentis circa illicita.

Malitia est contemptus, & abominatio rerum spiritualium, procedens aliquando ex inordinata tristitia mentis.

Rancor est displicentia contra aliquem, propter quam desiderat vel quærit quis malum alteri.

Pusillanmitas est quando quis deficit, vel recusat agere aliquod opus bonum, vel timide incipit, vel ab incæpto desistit.

Desperatio est quando ex falsa æstimatione propter peccata facta, vel bona omissa aliquis desperat de Dei misericordia.

Torpor circa præcepta est negligere, & contemnere Divina præcepta, quæ sunt necessaria ad salutem.

Evagatio mentis circa illicita est quando aliquis non inveniens delectationem in spiritualibus, vacat carnalibus, & quærit ea.

Accidia quando est peccatum mortale, & quando veniale?

Secundum D. Th. 2, 2. q. 35. art. 3. Accidia ex suo genere est peccatum mortale, quia contrariatur Charitati. nam proprius effectus Charitatis est gaudere de Deo, & bono Divino. Accidia autem tristatur de bono spirituali, in quantum est bonum Divinum. Quod autem est contra Charitatem, est mortale, quia per Charitatem habemus spiritualem vitam, in quantum per eam Deus inhabitat nobis. Verum quia in omnibus peccatis, & quæ sunt mortalia ex genere suo, mortalia non sunt, nisi quando suam perfectionem consequuntur, quæ consummatio, seu perfectio est in consensu rationis, ideo si fit inchoatio Accidiæ in sola sensualitate, & non pertingat ad consensum rationis, erit Veniale.

DE PECCATIS IN SPIRITUM SANCTUM.

Quid est peccatum in Spiritum Sanctum?

Est illud quod committitur propria malitia, & difficile condonatur.

Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum?

Secundum Mag. sentent. lib. 2. dist. 53. sunt sex, scilicet Desperatio, Præsumptio, Impugnatio veritatis agnitæ, invi-

Invidentia charitatis fraternæ, Obstinatio, & finalis impænitentia; licet quodlibet peccatum mortale ex malitia dicitur peccatum in Spiritum Sanctum.

Desperatio est quando ex falsa æstimatione propter peccata, quæ patravit, vel bona quæ omisit, desperat de Dei misericordia credens Deum nolle, vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere.

Præsumptio est, qua quis talem se existimat, quod Deus eum etiam peccantem non excludet a sua gratia, vel non puniet, & sic temere sperat se salvatum iri absque merito.

Impugnatio veritatis agnitæ est quando quis veritatem Fidei agnitam impugnat, ut licentius peccet.

Invidentia Charitatis Fraternæ est quando quis non solum invidet Personæ Fratris, sed etiam invidet Gratiæ Dei crescenti in illo.

Obstinatio est quando quis firmat propositum suum in hoc, quod peccato hæreat.

Finalis impænitentia est quædam peccati firmitas, quæ significat propositum non pænitendi.

Peccatum quando dicitur in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum?

Pec-

Peccatum in Patrem dicitur quando quis peccat ex fragilitate, ſeu infirmitate, quia Patri attribuitur potentia, diſt. 23. cap. Qui Epiſcopus.

Peccatum in Filium dicitur quando quis peccat ex ignorantia, quia ſapientia Filio attribuitur; diſt. 3. cap. fin. juxta Apoſtol. & ſecundum Mag. ſentent. lib. 2. diſt. 43.

Peccatum in Spiritum Sanctum vero dicitur quando quis peccat ex malitia certa, ideſt ex ipſa electione mali, quia Spiritui Sancto attribuitur Bonitas, cui directe opponitur malitia, ut in ſpeciebus ſupradictis, diſt. 25. c. Qualis, & de pænit. d §. importun. §. poſtea, & §. ſeq. & eo tit. dub. 2. c. ſciendum; & ſecundum Mag. ſentent. lib. 2. d. 43. unde hoc peccatum dicitur irremiſſibile, non quod Deus non poſſit remittere, ſed quia raro dimittitur, aut vix in hoc ſæculo, quantum ad culpam.

Peccatum in Spiritum Sanctum cur dicitur irremiſſibile in hoc ſæculo, & in futuro?

Propter malitiam hominis, quia vix poteſt ſe præparare ad gratiam quem tanta moles peccati premit, quando voluntas poteſt, & ſcit reſiſtere alicui malo, & tamen ex ſola malitia illud eligit.

In

In peccatorum remiſſione quot requiruntur?

Tria, ſcilicet ipſe remittens; ille, cui remittitur; & diſpoſitio in eo, cui remittitur.

In ipſo remittente, duo ſunt, ſcilicet miſericordia, & juſtitia, contra primum eſt deſperatio, contra ſecundum eſt Præſumptio.

In eo, cui remittitur duo ſunt, ſcilicet dolor de peccatis commiſſis, & propoſitum de non committendis; contra primum eſt obſtinatio, contra ſecundum eſt finalis impænitentia.

In diſpoſitione remittendi duo ſunt, ſcilicet agnitio veri, & amor boni; contra primum eſt impugnatio veritatis agnitæ, contra ſecundum eſt invidentia Charitatis Fraternæ.

DE PECCATIS EXCITANTIBUS, ET PROVOCANTIBUS DEUM AD VINDICTAM.

Quot ſunt peccata, quæ excitant, & provocant Deum ad vindictam?

SUnt quatuor, nempe: Homicidium voluntarium: Peccatum carnale contra naturam: Oppreſſio Pauperum, Orphanorum, & Viduarum: Defraudare Operarios mercede propriis laboribus debita. Hæc enim adeo gravia ſunt, ut

vindictam à facra fcriptura dicantur petere à Deo, & hoc patet.

De Homicidio voluntario: nam Gen. 4. n. 10. hæc leguntur verba: Vox fanguinis Fratris tui clamat ad me de terra.

Colligitur enormitas fecundi ex Gen. 18. n. 20. & 21. ubi hæc habentur: Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eft, & peccatum eorum aggravatum eft nimis. Defcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eft ita, ut fciam.

Injuftitia tertii clare apparet ex Exodo 12. n. 22. & 23. ubi legitur: Viduæ, & pupillo non nocebitis; fi læferitis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.

Gravitas deniqúe quarti colligitur ex Epift. D. Jacobi cap. 5. num. 4. qui hæc fcribit: Ecce merces Operariorum, qui meffuerunt regiones veftras, quæ fraudata eft à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

Quare hujufmodi peccata fic nuncupantur?

Ideo hujusmodi peccata dicuntur clamare ad Deum, eumque ad vindictam excitare, atque provocare, quia conti-

tinent in ſe enormitatem, injuſtitiam, & gravitatem adeo manifeſtam, ut nullo modo tergiverſari, vel abſcondi poſſit.

DE CIRCUMSTANTIIS PECCATORUM.

Quid, & quotuplex eſt Circumſtantia peccati?

CIrcumſtantia eſt accidens, ſeu modus cum quo peccatum committitur, & quadruplex eſt; alia eſt aggravans in infinitum, alia eſt aggravans finito modo; alia eſt immutans ſpeciem, alia demum eſt præciſe aggravans.

Circumſtantia aggravans in infinitum eſt accidens, ſeu modus circumſtans peccato, & transferens materiam venialem in mortalem, ut v. g. furari paucos nummos pauperi extreme indigenti.

Circumſtantia aggravans finito modo eſt accidens, ſeu modus circumſtans peccato, exiſtens intra latitudinem materiæ venialis, ut furari à divite paucos nummos.

Circumſtantia immutans ſpeciem eſt modus circumſtans peccato, addens peccato malitiam ſpecie diversam; ut Adulterium ſacerdotis; additur enim malitiæ Adulterii malitia ſacrilegii.

Circumſtantia demum præciſe aggra-

vans est modus circumstans peccato, existens in eadem specie malitiæ peccati, ut fornicari in die festo.

DE OCCASIONE PROXIMA.

Quid est occasio proxima?

Occasio proxima est illa, qua posita difficile peccatum vitatur, quia est adeo præsens, quod potest dici potius ipsa invenire Peccatorem, quam Peccator ipsam; vel ut docet Tamburinus in Opusc. lib. 3. cap. 3. §. 1 & alii apud Card. de Lugo disp. 14. de Pænitent. cap. 10. n. 149. est illa, qua nunquam, vel fere nunquam utitur homo, consideratis circumstantiis, absque novo peccato; ut qui detinent Concubinam domi, raro, vel numquam desinet facto, verbo, vel cogitatione peccare. Vide etiam Bonac. de Matr. q. 4. punct. 14. n. 11. Ego autem dico omnino sufficere ad hoc, ut aliqua occasio sit proxima, quod si talis ut in ea constitutus peccet frequenter. Ita docet P. Oct. à S. Joa. tit. n 52 int. 1.

Quotuplex est occasio proxima?

Duplex est, alia voluntaria, alia involuntaria, seu habita ex necessitate.

Occasio proxima voluntaria est illa, quam Pænitens potest à se amovere, sed non vult; ut si quis habeat domi Con-

cu-

cubinam, ſive publicam, ſive ſecretam. Dicetur etiam occaſio proxima voluntaria, ſi quis alat Concubinam in aliqua domo.

Occaſio proxima involuntaria, ſeu habita ex neceſſitate eſt illa, quam Pænitens non poteſt à ſe amovere, quamvis id cupiat v. g. ſi Filius Familias peccaret cum Famula Patris ſui, vel cum uxore Fratris ſui.

Conſtitutus in prima occaſione non poteſt abſolvi, niſi prius eam deſerat Tamb. loco paulo ante cit. §. 3., & contraria ſententia damnata fuit ab Innoc. XI. Anno 1679. & eſt Prop. 61. ab eo damnata. Ita P. Oct. à S. Jo. tit. 153. int. 3.

Conſtitutus in ſecunda poteſt abſolvi, quia cum Filii familias non ſit in libertate ſervam expellere, neque uxorem Fratris ſui, non dicuntur verſari in occaſione voluntarie electa. Tamen adhibenda opportuna remedia ſunt juxta prudentiam Confeſſarii, ne iterum relabantur in peccatum quod ſi non ſe emendent, ſuſpendenda eſt illis abſolutio aliquo temporis ſpatio, ac demum omnino deneganda, ſi perſeverent in peccato Bonac. de Matr. q. 4. pun. 14. n. 13. P. Oct. à S. Joan. tit. 153. int. 4.

Quid est occasio remota?

Est illa, qua posita, facilior est evitatio peccati, quia etiamsi Pænitens in ea reperiatur, raro, vel difficulter committit Peccatum. Vide Tamb. loco supracit. ubi plura ad intentionem, & P. Oct. à S. Jo. tit. 153. int. 2.

Est ne idem habere consuetudinem, & occasionem proximam peccandi?

Non est idem: Occasio enim proxima est extrinseca, consuetudo vero intrinseca, & e propria fragillitate, vel malitia nata, quam dicitur habere ille, qui est solitus se polluere, seu molitiem committere, blasphemare, iurare &c. Ita P. Oct. à S- Joan. tit. 47. int. 7.

DE IGNORANTIA.

Quid est Ignorantia?

Est carentia cognitionis alicujus rei.

Quotuplex est Ignorantia?

Multiplex est: alia est ignorantia antecedens, alia consequens: 2. alia est ignorantia juris, alia facti: 3. alia est ignorantia affectata, alia non affectata, seu crassa.

Ignorantia antecedens, seu invincibilis est illa, quæ neque directe, neque indirecte voluntaria est; nam ideo dicitur antecedens, quia antecedit omnem actum voluntatis, ideoque prorsus inculpabilis

culpata est, quia nullo studio, seu morali diligentia superari, aut tolli potest.

Ignorantia consequens, seu vincibilis est illa, quæ aliquo modo voluntaria est, ideoque consequitur voluntatem tam directam, quam indirectam: quamobrem culpabilis est, si versetur circa rem cognitu necessariam.

Ignorantia Juris est quando quis ignorat, quod lege, vel consvetudine constitutum est; v. g. si nesciat carnium comestionem die Veneris prohibitam esse.

Ignorantia facti est quando quis ignorat rem particularem, ex qua actio moralis, veluti ab objecto dependet; v. g. si nesciat carnem esse, quam comedit, vel non cogitet esse diem Veneris.

Ignorantia affectata est quando quis ex proposito, sive de industria vult ignorare ea, quæ scire tenetur, juxta illud Prophetæ: noluit intelligere, ut bene ageret.

Ignorantia non affectata, seu crassa, & supina ea est, quæ ex lata culpa est in eo, qui nullam adhibet diligentiam, vel saltem valde modicam ad sciendum, quæ tenebatur.

Quænam est regula dignoscendi ignorantiam invincibilem a vincibili?

Quan-

Quando nulla cogitatio, aut dubitatio, vel ſcrupulus de illa re, quæ agitur, in intellectu operantis actualiter præcedit.

DE CONSCIENTIA.

Quid eſt Conſcientia?

CONſcientia eſt quædam regula proxima actionum, quæ dictat hic & nunc tale malum eſſe fugiendum & tale bonum eſſe amplectendum.

Quid eſt ſinderesis?

Sinderesis eſt habitus quidam naturalis, qui ex principiis operabilium naturaliter inditis inſtigat hominem ad bonum, ac malo remurmurat, ſeu contradicit.

Quotuplex eſt Conſcientia?

Conſcientia quintuplex eſt, alia enim dicitur recta, alia erronea, alia certa, alia dubia, alia ſcrupuloſa.

Conſcientia recta eſt illa, quæ recte judicat aliquid eſſe faciendum.

Erronea eſt illa, quæ falſo judicat eſſe faciendum, vel non.

Certa, quæ pro certo judicat.

Dubia, quæ nullatenus judicat, ſed manet ſuſpenſa.

Conſcientia denique ſcrupuloſa, ſeu ſcrupulus eſt inanis apprehenſio, & hinc oritur timor, & anxietas alicubi eſſe peccatum, ubi non eſt

DE MATERIA PROXIMA PÆNITENTIÆ, ET PRIMO DE CONTRITIONE.

Quid est Contritio?

Est animi dolor & detestatio de peccato commisso, ut est offensa Dei summe dilecti, cum proposito non peccandi de cætero.

In quo differt propositum a promissione?

Propositum differt à promissione in hoc, quod propositum etiam ardenter conceptum, si postea mutetur, nunquam inducit peccatum ratione suæ mutationis; At promissio, quæ est deliberata fidei obligatio, si non servetur, per se inducit peccatum.

Qualis est effectus Contritionis?

Secundum D. Tho. est remissio culpæ, & pænæ, vel in toto, vel in partem.

Quid est attritio?

Est dolor imperfectus de offensa Dei, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & Pænarum metu, vel timore amissionis gloriæ communiter concipitur; debet tamen excludere voluntatem peccandi cum spe veniæ.

DE CONFESSIONE.

Quid est Confessio Sacramentalis?

EST secreta accusatio peccatorum coram proprio sacerdote, ut ab illo sacramentaliter absolvatur.

Quotupliciter Confessio Sacramentalis dici potest integra?

Dupliciter appellari potest integra, materialiter, & formaliter.

Tunc dicitur integra materialiter, quando explicantur omnia mortalia, nullo relicto; quæ sunt materia necessaria Confessionis.

Dicitur integra formaliter, quando explicantur omnia peccata mortalia, quæ moraliter explicari possunt, ita ut nulla reticeantur absque justa, & sufficienti causa; unde si quis omittat aliquod peccatum ex oblivione, aut ex alia justa causa, quæ tamen non est verecundia, dicitur integre formaliter confiteri, & satisfacit Divino præcepto, quamvis non confiteatur integre materialiter. Ita P. Oct. a S. Jo tit 44. int. 7.

Quot & qui sunt casus, in quibus non tenetur quis proprio sacerdoti confiteri?

Sunt octo; Primus est realis necessitas, maximeque extrema, ut est articulus mortis.

Secundus est realis, aut probabilis certitudo, quod Confessor Pænitentem

ad peccandum ſollicitabit, tam una ſecum quam cum aliis.

Tertius eſt evidens periculum, quod Confeſſor peccata Sacramentaliter audita directe, ſeu indirecte patefaciet.

Quartus eſt quando ex tali Confeſſione evidenter periclitatur vita, tam ſacerdotis, quam Pænitentis.

Quintus eſt quando vere, & realiter, & in rei veritate & non in imaginatione tantum, ſacerdos indiſcretus eſt.

Sextus eſt neceſſaria evagatio Pænitentis, uti Curſores, ſeu Tabellionarii, Peregrinantes.

Septimus eſt periculum honoris evidentiſſimum, tam proprium, quam eorum qui in peccatis complices ſunt, uti evenit illis, qui peccaverunt cum affine ſacerdotis, ſeu illis jurati ſunt, & ſimilia, qui dedecus, & vitæ periculum præſeferunt.

Octavus denique eſt nimia ignorantia proprii ſacerdotis, ſeu nimia ſurditas, ut alia rationabilis ejus incapacitas ad audientiam Confeſſionem Sacramentalium.

In quibus caſibus tenetur quis Confeſſionem reiterare.

In quatuor caſibus ex parte Confeſſoris, & in tribus ex parte Pænitentis

reiteranda est Confessio. Videlicet ex parte Confessoris.

Primus est, quando scitur Confessarium esse Excommunicatum denunciatum.

Secundus, quando sciatur ipsum non habuisse intentionem absolvendi, aut de facto non absolvisse.

Tertius, quando Confessor non habet potestatem Ordinis, ac debitam potestatem jurisdictionis.

Quartus denique quando absolverit Pænitentem a casibus reservatis suis superioribus à quibus ipse non poterat absolvere.

Ex parte vero Pænitentis sunt tres; nempe;

Primus est, quando Pænitens est excommunicatus, vel interdictus, quia primo ab illis absolvendus est, & scit se esse innodatum tali Censura.

Secundus quando Pænitens voluntarie occultavit aliquot peccatum mortale vel ejus circumstantiam, tam ex malitia, quam ex verecundia, seu illis oblitus est ex crassa, & culpabili negligentia.

Tertius est, quando Pænitens non habet propositum abstinendi in futurum, & remittendi offensas, si quas à quovis accepit, nec pænituit peccasse.

Quot, & quæ sunt conditiones bonæ Confessionis?

Qualitates, seu conditiones bonæ Confessionis sunt sexdecim, his contentæ versibus.

Sit simplex, humilis Confessio, Pura, Fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta. lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata

Quæ conditiones tali pacto sunt intelligendæ.

1. Simplex, veritatem aperiens sine historiarum, & rerum impertinentium admixtione.

2. Humilis, sine audacia, aut jactantia.

3. Pura, cum animi puritate, & intentione consequendi finem Sacramenti, non ob vanam gloriam. &c.

4. Fidelis, referens certa pro certis, dubia, pro dubiis sine mendacio.

5. Frequens, ut frequenter quis confiteatur.

6. Nuda, non palliata coloribus, sed clare, & distincte peccata explicentur sine diminutione, aut æquivocatione.

7. Discreta, ut peccata verbis honestis explicentur, & probus Confessarius eligatur.

8. Libens, ut fiat sponte, non coacte.

9. Verecunda, cum pudore.

10. Integra, requiritur enim integritas materialis, videlicet, ut omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt non jam confessa, eorumque numerus, & circumstantiæ, quæ speciem mutant, aperiantur: ex Trid. sess. 14. c. 5.

11. Secreta, ut non fiat coram aliis, nisi urgente necessitate.

12. Lachrymabilis, cum dolore saltem interiori.

13. Accelerata, ut commisso peccato, Confessio non diu differatur. Commisso gravi peccato, præsertim carnis, non debet quidem quis diu Confessionem differre, ne labatur in pejus; sed indecens est, si statim ad Sacramentum accedat, nisi necessitas urgeat: debet enim prius, placata sensus rebellione, se disponere per cognitionem, & dolorem patrati delicti, ut sic quamprimum cum debita reverentia Sacramentum suscipiat.

14. Fortis, cum animi constantia, ne ob pudorem, aut timorem, aliquod peccatum mortale omittat.

15. Accusans, ut fiat per modum accusationis sine excusatione.

16. Parere parata, videlicet cum animo Pænitentiam implendi, & Confessarii consiliis standi.

Ad-

Advertendum tamen eſt, quod ex hi conditionibus ſolæ tres ſunt neceſſariæ ad Sacramenti valorem, nempe Fidelitas, Integritas, & Dolor.

Confeſſio an debet eſſe auricularis, aut ma ifeſta, & aperta?

Confeſſio debet eſſe auricularis, ideſt ſecrera, & non manifeſta, & aperta; hoc eſt, Confeſſio debet fieri ab ipſomet Pænitente coram ſolo ſacerdote ſecreto, ideſt abſque alio arbitro, & conſcio.

Ex quo hujusmodi veritas colligitur?

Hujusmodi doctrina colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi oppoſitum Hæreticorum errorem hujus ætatis damnat, ex ſacris Canonibus, & conſvetudine perpetua Eccleſiæ eruendo veritatem; docuit eam Conc. Cabilon. c. 38. Leo Papa Ep. 80. Cyprian. lib. de Lapſis, & Ep. 14. lib. 3. Hieron. in illud Eccleſ. 10. ſi momorderit ſerpens. Angel. c. 10. de ver. & fals. pæniten. Baſil. in Pſ. 32. & in reg. brer 288. Chryſoſt. homil. 5. in illud Iſa. Vidi Domin. ſedentem, & Joan. 20 Ratio eſt, quia cum in hoc foro explicanda ſint peccata, non ſolum publica, ſed ſecreta, congruum erat, ut ſecreta foret Confeſſio. Non poteſt enim Eccle-

ſia

ſia per humanam legem præcipere Confeſſionem non ſecretam, ut patet ex eodem Conc. Trident, loco ſupra cit.; licet non ſit de neceſſitate Confeſſionis, ut fiat ſecreto, ut pariter docet idem Concil. Trid. ubi ſupra. Neque dici poteſt, quod ſit Præceptum Divinum, aut humanum obligans Pænitentem, ut ſecreto confiteatur. Quod totum colligitur ex Fern. p. 3. cap. 6. § 6. num. 28

DE SATISFACTIONE.

Quid eſt ſatiſfactio Pænitentialis?

EST compenſatio pænæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam conſiſtens in operibus pænalibus, & ſanctis à Confeſſario injunctis.

Quot ſunt partes ſatisfactionis?

Sunt tres: Oratio, Jejunium, & Eleemoſyna.

Quid eſt Oratio?

Secundum Damaſcenum eſt pius mentis affectus in Deum tendens, & plerumque, ne animus pigritetur, in vocem prorumpens: de conſ. d. 39. c. Quando autem.

Quis eſt effectus Orationis?

Effectus orationis duplex eſt, primo, quia per eam vitatur tentatio. Secundo, quia procedit ex ratione charitatis, penes quam conſiſtit omne meritum, &

est fons vivus: de pænit. dist. 2. cap. Charitas.

De Jejunio loquimur in 2. Ecclesiæ præcepto.

De Eleemosina vide in ultimo Decalogi præcepto.

A quo ordinata fuit hujusmodi satisfactio?

A Jesu Christo Domino nostro, quod colligitur ex c. 12. Mat. v. 41. ubi hæc leguntur: Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pænitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: & Luc. XII. v. 32 habetur: Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione, hac, & condemnabunt illam, quia pænitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ & ecce plusquam Jonas hic; & ex eodem Luca cap. 13. v. 3. legitur; Nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis; & v. 5. si pænitentiam non egeritis omnes similiter peribitis.

DE JNDULGENTIIS, ET JUBILÆO.

Quid est Jubilæum?

Est Bulla Summi Pontificis concedens Indulgentiam Plenariam, & alia privilegia præstantibus certa opera, quæ in Bulla explicantur.

Quid

Quid est Indulgentia?

Est relaxatio pœnæ debitæ pro peccato, satisfaciens Divino rigori ex operibus sanctorum & Christi reservatis in Ecclesiæ thesauro per liberalem Papæ hujus ærarii Divini dispensatoris condonationem extra ullum sacramentum.

Quid significant verba per modum suffragii apponi solita in Bullis, & in Jubilæis?

Significant per modum impetrationis, cum enim animæ in Purgatorio detentæ Interius, ut ita dicam, foris sint, nec Ecclesiæ Jurisdictioni omnino pareant, cum Ecclesia illis applicat ex ærario meritorum Christi, & sanctorum satisfactiones, obnixe â Deo petit, ut eas pro animabus illis accipiat. Quæ applicatio certa est, & determinata ex opere operato secundum æstimationem Divinam. Ita Alef. 4. p. c' 83. mem. 5. & Theologi communiter.

Quid significant mille anni Indulgentiæ?

Non quidem significant moram tanti temporis futuram in Purgatorio: sed unus annus dicitur ille gradus satisfactionis, qui proportione servata respondet Pœnitentiæ injunctæ, vel injungendæ juxta Canones Pœnitentiales. In quibus quidem ab Apostolis, & Ponti-

tifi-

tificibus pro unoquovis peccato mortali publico taxabuntur ſeptem anni, pro graviore undecim anni, v. g. ut per deſignatum annum talis peccator ſemel in hebdomada jejunaret, flagellaretur, eleemoſynam erogaret, Pſalmos recitaret, aut aliud Pænitentiæ genus exerceret. Hæc autem ab Apoſtolis, & Pontificibus taxatio facta fuit per ſcientiæ infuſionem, & prophetiæ donum, reſpondens in hac vita pœnæ quæ ferenda eſt in Purgatorio, niſi hic ſatisfiat. Ut notat D. Antonin. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 3. & alii apud Fern. par. 3. cap. 7. §. 9. num. 2 2.

Quid ſignificat Indulgentia Plenaria? quid quadragena? quid media, aut tertia pars peccatorum?

Plenaria Indulgentia ſignificat omnimodam remiſſionem pænæ debitæ pro omnibus peccatis tam mortalibus, quam venialibus.

Quadragena ſignificat ſpatium quadraginta dierum, in quibus carnibus abſtinemus, in quibus olim arctior infligebatur Pænitentia, ut v. g Pænitentes ſolo veſcerentur pane, & aqua.

Media, aut tertia pars ſignificat remiſſionem pænæ debitæ pro dimidia, aut tertia parte peccatorum.

Quid

Quid est discrimen inter plenam, & plenissimam Indulgentiam, & Jubilæum?

Nullum quidem quoad remissionem pænæ, tota enim simul remittitur, tam per plenam, quam per plenissimam, quam per Jubilæum. Aliquod tamen est in facultatibus, & privilegiis concessis, sed de iis videndus contextus utriusque in singulari. Ita Tolet. lib. 6. cap. 25. num. 1.

DE ABSOLUTIONE.

Quid est Absolutio?

Est forma Sacramenti Pænitentiæ virtute Christi delens maculas peccatorum, quæ quis confessus est cum debitis dispositionibus sacerdoti habenti potestatem Jurisdictionis.

Quotuplex est absolutio?

Duplex, alia est directa, indirecta alia. Directa est forma sacramenti Pænitentiæ delens peccata confessa sine onere ea de novo confitendi.

Indirecta est forma sacramenti Pænitentiæ delens peccata confessa cum onere ea denuo confitendi.

In quibus casibus simplex Sacerdos non potest absolvere Pænitentem, sed ad superiorem remittere?

Secundum D. Th. 4. sentent. dist. 24 sunt quatuor.

Primus est de interdictis, excommunicatione reservata.

Secundus est, quando invenit irregularitatem contractam.

Tertius est Incendiariis.

Quartus est quando est consvetudo in alio Episcopatu, & enormia crimina ad terrorem Episcopo reservantur. Conc, Trid. Sess. 14. c, 7.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Quid est extrema Unctio?

EST Sacramentum à Christo institutum ad Ægroto periclitanti de vita conferendam salutem animæ, vel etiam corporis per unctionem Olei Benedicti, & orationem Sacerdotis.

Quis instituit hoc Sacramentum?

Christus Dominus, quando misit Apostolos infirmos oleo ungere: Matth. cap. 6. Et huic concordat promulgatio S. Jacobi dicentis: infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum ungentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio Fidei salvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus &c. Jacob cap. 5. dist. 25. ſ. sed quæritur, & conseq. & Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. & can. 2.

Quænam est materia remota, & quæ proxima?

Ma-

Materia remota eſt Oleum Benedi-ctum ab Epiſcopo, eodem anno reno-vatum, veteri combuſto. Materia pro-xima eſt inunctio quinque ſenſuum, vel ſi iſti mutilati ſint, vicinarum par-tium.

Quæ eſt forma?

Forma iſtius Sacramenti ſunt verba prolata à Sacerdote: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſeri-cordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum tactum &c. deliqui-ſti. Amen.

Quis eſt miniſter Extremæ Unctionis ſa-cramenti?

Eſt ſolus Sacerdos, etiam in articu-lo neceſſitatis, ut in c. unctio de ſacr. Unct., & Conc. Trid. ibi. Unde non eſt de neceſſitate, quod ſint plures ſacerdo-tes præſentes, ſed unus ſolus cum cle-rico poteſt hoc Sacramentum conferre de verb. ſign. §. quæſivit. Si tamen ſint plures Sacerdotes melius eſt, & ille, qui inungit, debet dicere verba, & cæ-teri reſpondere, & aſſiſtere, & pro in-firmo orare.

Quot, & qui ſunt hujus ſacramenti effe-ctus?

Secundum D. Th. 4. ſent. diſt. 24. ſunt quatuor.

Pri-

Primus eſt roborare Chriſti fideles contra tentationes Diaboli in puncto mortis eos infeſtantis.

Secundus eſt ſanitas corporalis; hanc tamen non inducit, niſi ſecundum quod expedit ad finem principalem, ſcilicet ſpiritualem ſanationem, & tunc ſemper eam inducit, ſummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.

Tertius effectus eſt, quod hoc Sacramentum valet ad excitandam devotionem, & ad velocem tranſitum in Cælum.

Quartus effectus eſt remiſſio omnium peccatorum venialium, & peccatorum mortalium oblitorum. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. 2. & 3. de Doctr. extr. unct.

DE ORDINE.

Quid eſt Ordo?

EST Sacramentum novæ legis, in quo traditur ſpiritualis poteſtas ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium perficiendum, vel immediate, vel mediate, plus, minuſve, juxta cujusvis Ordinis gradum, & Officium.

Quot ſunt Ordines?

Sunt ſeptem, nempe: Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, & vocantur ordines Minores, eo quod immediate non aſſiſtunt Altari Clerici illis initiati, nec inſerviunt immediate

Sa-

Sacerdoti ſolemniter celebranti. Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, & vocantur ordines Majores, & ſacri, quia iſti immediatius juxta proprium officium inſerviunt Miſſæ ſacrificio, & Clerici iſtis initiati habent corpus Deo ſacratum per votum Caſtitatis.

Quis inſtituit hoc Sacramentum?

Chriſtus Dominus, quando in die Cænæ poſtquam communicavit Apoſtolos, dixit eis: Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap 3.

Quænam eſt materia remota, & quæ Proxima?

Materia remota eſt inſtrumentum, quod ordinatis tangendum traditur. Materia vero Proxima eſt traditio inſtrumenti, quod phyſice tangi debet, neque ſufficit contactus moralis, quo quis ſcilicet manum porrigat, & appropinquet inſtrumento, non autem illud tangat.

Quæ eſt forma?

Eſt, poſtquam Epiſcopus reflexit Stolam ab humero ſiniſtro in dexterum in modum Crucis, dicendo: Accipe jugum domini. Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve &c. Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, Miſſamque

cele-

celebrandi in Nomine Domini, &c. Vide fcrut. facr. de Ord. pag. 213.

Qui nam eſt miniſter hujus Sacramenti?

Miniſter Ordinarius eſt ſolus Epiſcopus.

Quot, & qui ſunt hujus Sacramenti effectus?

Duo, ſcilicet gratia habitualis, & Character indelebilis.

In quo actu imprimitur Character in ſingulis Ordinibus?

In traditione alicujus inſtrumenti deputati ad exequtionem illius Ordinis, & in prolatione aliquorum verborum.

DE HORIS CANONICIS.

Quid eſt officium Divinum?

Eſt laus Dei per Eccleſiæ inſtitutionem determinata, & voce expreſſa.

Quid eſt hora Canonica?

Eſt officium Divinum certa hora diei naturalis Deo perſolvendum ab Eccleſiaſticis perſonis, vel eſt quædam ſatisfactio obligationis contracta propter Beneficium, Ordinem, vel officium ſuſceptum, ex quibus altero eorum quis devote obligatur ad ipſas horas dicendas.

Quot ſunt horæ Canonicæ, & quid ſignificant?

Horæ Canonicæ ſunt ſeptem, quæ ſigni-

gnificant ſeptem principaliora myſteria Paſſionis Chriſti contenta in his quatuor carminibus.

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, dat cauſam Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

DE CENSURIS.

Quid eſt Cenſura?

EST pæna ſpiritualis, & medicinalis per Eccleſiaſticam poteſtatem impoſita, privans hominem baptizatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium.

Quotuplex eſt Cenſura;

Triplex, ſcilicet Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum.

Quid eſt Excommunicatio?

Eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua Baptizatus à Communione Eccleſiæ quoad fructum, & ejus ſuffragia, & a qualibet licita Fidelium Communione excluditur.

Quotuplex eſt Excommunicatio?

Alia eſt Major, alia, Minor, alia à jure, & ab homine, comminatoria, & ipſo facto incurrenda.

Excommunicatio major eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua baptizatus ſeparatur

à communione Fidelium, & à passiva, & activa sacramentorum participatione, & Ecclesiastica sepultura.

Bona, quibus excommunicatus vitandus & non toleratus privatur, in hoc continentur carmine.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur?

Excommunicatio minor est Censura Ecclesiastica, qua bæptizatus privatur passiva sacramentorum participatione, & passiva electione ad Beneficia.

Causæ, ob quas licet communicare cum Excommunicato vitando, & non tolerato, sunt sequentes.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Quis est excommunicatus vitandus, & quis toleratus?

Excommunicatus vitandus, est publicus Clerici percussor, & reus per publicam Judicis Ecclesiastici sententiam denunciatus excommunicatus.

Excommunicatus toleratus est reus criminis, cui est adnexa excommunicatio, à nullo Judice declaratus talis.

Quid est suspensio ut sic?

Est Censura Ecclesiastica, qua Personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui Officii, vel Beneficii Ecclesiastici in totum, vel in partem, ad tempus, vel in

perpetuum, à lege, vel ab homine.

Quotuplex est suspensio?

Alia est à Jure, vel ab homine; ab officio, vel à Beneficio; ad tempus, vel in perpetuum.

Quid est suspensio á jure?

Est Censura Ecclesiastica, qua Personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officii, vel beneficii in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum.

Ubi nota, quod mutato ly à Jure in ab homine, erit definitio suspensionis ab homine.

Quid est suspensio ab Officio?

Est Censura Ecclesiastica, qua Personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officii, seu ordinis, in quo est constitutus.

Quid est suspensio a Beneficio?

Est Censura, qua Personæ Ecclesiasticæ prohibetur, ne percipiat fructus sui Beneficii.

Quid est depositio?

Est perpetua privatio Clericalis muneris per Canonicam sententiam cum debita solemnitate prolata.

Quid est degradatio?

Est perpetua privatio executionis legitimæ Officiorum, & Beneficiorum, Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto

absque

absque specie restitutionis & cùm privatione fori, & Canonis.

Quid est interdictum?

Est Censura Ecclesiastica prohibens usum Divinorum, ut quidam usus est.

Quotuplex est interdictum?

Quadruplex est, Locale, Personale, Generale, & speciale.

Interdictum locale est Censura, qua prohibetur usus Divinorum in aliquo loco.

Interdictum Personale est Censura, qua usus Divinorum prohibetur certæ Personæ.

Interdictum Generale est Censura qua prohibetur usus Divinorum toti regno, vel Provinciæ.

Interdictum speciale est Censura Ecclesiastica, qua determinato territorio usus Divinorum Officiorum prohibetur.

Quid est Irregularitas?

Est impedimentum indictum à Jure canonico, quo quis directe impeditur etiam post pænitentiam ab exercitio Ordinis, in quo est, & à receptione Ordinum.

Quotuplex est irregularitas?

Alia est ex delicto, alia ex defectu animi, vel corporis, vel natalium; alia est totalis, & est illa, quæ inhabilitat

tat ad omnem Ordinem ſuſcipiendum, & ſuſcepti exercitio privat, ut homicidium, & bigamia. Alia partialis, & eſt illa, quæ alicujus tantum Ordinis uſu privat, vel ſolo aſcenſu ad ordinem ſuperiorem; verbi gratia oculis, vel palma carens inhabilis eſt ad Sacerdotium non ad Confeſſiones audiendas; & Diaconus oculo ſiniſtro carens, inhabilis eſt ad ſacerdotium, poteſt tamen in ſuo Ordine miniſtrare. Buſemb.

Quotuplex eſt irregularitas ex delicto?

Prima ex infamia per jus civile, aut canonicum, aut communem hominum exiſtimationem inducta.

Secunda ex publica Pænitentia.

Tertia ex reiteratione Sacramenti Baptiſmi.

Quarta ex Ordine male ſuſcepto, vel miniſtrato.

Quinta ex crimine enormi, quod in jure punitur depoſitione.

Sexta ex defectu lenitatis, ratione cujus quis occidit, vel mutilat, vel deformat hominem.

Quotuplex eſt irregularitas ex defectu?

Prima ex defectu animæ, quæ uſum rationis expeditum non habet.

Secunda ex defectu corporis, notabiliter deformis propter abundantiam,

vel

vel carentiam, vel deformationem alicujus partis patentis.

Tertia ex defectu Natalium, quia quis ex legitimo Matrimonio natus non est, vel est natus servus legalis.

Quarta ex defectu Sacramenti Matrimonii non repræsentantis perfectam unionem Christi cum Ecclesia.

Quinta ex defectu ætatis, quia quis non pervenit ad ætatem requisitam à Jure pro Ordinibus valide suscipiendis.

Quot, & quæ sunt excommunicationes nemini reservatæ, quæ absolvi possunt a quocunque Confessario?

Præcipuæ sunt sex. Prima contra imprimentes, vel imprimi facientes Libros absque licentia superiorum.

Secunda contra contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis.

Tertia contra raptores Mulierum sive ad fornicandum, sive ad contrahendum Matrimonium cum eis.

Quarta contra cogentes Mulieres ingredi Monasterium.

Quinta contra cogentes Mulieres ad contrahendum Matrimonium cum Personis à se designatis.

Sexta Excommunicatio Minor contra Conversantes cum excommunicato

excommunicatione Majori publico, vel denunciato.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Quid est casus reservatus?

EST restrictio jurisdictionis in Confessario, ne certos casus absolvat.

Quam pœnam incurrit absolvens aliquem scienter a casibus Episcopo reservatis, secluso articulo, aut probabili mortis periculo?

Non solum peccat mortaliter, & nulla est absolutio, sed preterea incidit in Excommunicationem, ac incurrit privationem omnium Officiorum, Dignitatum, ac Beneficiorum, inhabilitatemque audiendi Confessiones, & ad quæcumque officia ipso facto, absque ulla alia declaratione, super quibus à nemine, quam à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionem impetrare potest, ut patet ex Decreto Clem. VIII. edito die 9. Januarii 1601 cum ejusdem Pontificis moderatione facta die 26. Novembris 1602. & ex *De*creto Pauli V. sub die 7. Januarii 1617 quo confirmatur, & innovatur præfatum Clem. VIII. Decretum cum sua moderatione, non obstantibus privilegiis, & tandem ex alio Decreto Urbani VIII. de ann. 1628. die 17. Novembris,

bris, quo prohibetur Regularibus facultas absolvendi à casibus reservatis in Bulla Cænæ, & a casibus reservatis Ordinariis Locorum, itidem non obstantibus privilegiis obtentis, & obtinendis. Vide Mirand. in manual. tom. 1. qu. 46. art. 2. & alios apud P. Oct. a S. Jos. tit. 6. int. 3.

Notandum tamen est, quod hujusmodi excommunicationem, aliasque pænas incurrit, si id faciat ignorantia affectata, aut adeo crassa, ut esset quasi scienta, & ingens temeritas, ut dicit Sanchez de Matrim. tom. 3 l. 9. disp. 32. num. 39. & 40. Quod si vero id faciat ignorantia crassa, & supina, excusatur à Censura, ut docet idem Sanchez de Præceptis Decal. l. 2. cap. 10. n. 38. & Diana part. 3. tract. 4. resolut. 73. P. Oct. à S. Jos. tit 6. int. 3. & 4.

Quot, & qui sunt casus Episcopis reservati a Jure, & consuetudine communi?

Primus Crimen Incendiarii, ut si quis Domum, aut Fruges, aut alias res Proximi ex industria incendat

Nota, quod Incendiarii Ecclesiarum debent absolvi à solo Papa, ut patet ex c. Tua nos &c. de Sententia Excommunicationis. Glossa ibi. Tolet. lib. 1. c. 35

 num.

num. 3. & 5. Joan. à S. Tho. fol. 200.

Secundus Homicidium voluntarium.

Tertius est peccatum Falsariorum, id-est eorum, qui Litteras, vel Scripturas vitiant, vel dant falsum Testimonium in Judicio, maxime cum præjudicio tertii,

Quartus est Sortilegium, Incantatio, & Maleficium.

Quintus est levis percussio Clerici ut pugnus, alapa Clerico privato impacta: secus est si Clericus sit in dignitate constitutus.

Sextus est Abortus fœtus animati.

Septimus est Sacrilegium Locale, cum nempe violatur locus sacer furto, fornicatione &c. saltem si talia crimina notoria sint. Vide Joan. à S. Tho: par. 3. §. 1. fol. 213. Layman de casibus reservatis cap. 12. num. 4. Navarrum cap. 27. num. 262. Tolet. lib 3. cap. 14. num. 3. & 4. Clericatum de Pænit. cap. 41. num. 13. Sa verbo casus n. 4. Sylvestrum verbo Casus n. 4.

DE MATRIMONIO.

Quid sunt sponsalia?

EST futuri Matrimonii mutua promissio signo externo expressa.

Sponsalia quibus in casibus annullantur?

Sponsalia annullantur in infrascriptis de-

decem, & ſeptem caſibus præcipuis, videlicet.

Primus eſt voluntaria illorum annullatio ab ambobus facta.

Secundus eſt ingreſſus Religionis, & emiſſio Profeſſionis alterius illorum.

Tertius eſt Ordo ſacer à viro ſuſceptus

Quartus eſt Votum Caſtitatis etiam ſimplex, alterius illorum.

Quintus eſt Matrimonium contractum, & conſummatum cum alia Perſona.

Sextus eſt Diſceſſus alterius illorum incertus de reditu.

Septimus eſt Affinitas contracta ex commercio carnali, tam licito, quam illicito.

Octavus eſt negotio ratificationis ſponſalium contractorum inter Pueros necdum annorum ſeptem.

Nonus eſt tranſgreſſio ſtatuti temporis inter partes pro futuro matrimonio ex cauſa abſentiæ cujuſcumque illorum

Decimus eſt lapſus cujuscumque illorum in incurabilem infirmitatem poſt ſponſalia.

Undecimus eſt lapſus in fornicationem, ob quam non fornicarius fornicarium deſerere poteſt, & non ſecus.

Duodecimus eſt lapſus alterius illorum

rum in negationem Fidei Christianæ, seu Hæresim formalem.

Tertiusdecimus est insignis inimicitia post sponsalia suborta inter sponsos.

Quartusdecimus est deficientia rerum honeste, ac legitime promissarum, ut Dotis, & similium &c.

Quintusdecimus est publica fama aliquorum impedimentorum inter ipsos impedientium legitimam formationem futuri Matrimonii.

Sextusdecimus, est nimia sævitia, & insopportabilis inhumanitas alterius illorum.

Septimusdecimus, & ultimus est eventus alicujus earum rerum post sponsalia, quæ si accidissent prius, & sponsalia ipsa retardassent, ac impedimento eorum celebrationi legitime fuissent.

In quo differunt Sponsalia a Matrimonio?

In his tribus: 1. quod Matrimonium est mutuus consensus, & contractus de præsenti; sponsalia vero sunt tantum mutua promissio: secundo pro matrimonio celebrando vir quatuordecim annos, & mulier duodecim ad minus habere debet; in sponsalibus vero sufficit, quod ambo sint ætatis annorum septem. Tertio matrimonium non annullatur nisi in infrascriptis duodecim casibus, nempe. *Error,*

Error, conditio, votum, Cognatio, crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Sponsalia vero non annullantur nisi in supradictis septem & decem casibus.

In quo conveniunt sponsalia cum Matrimonio?

Conveniunt in hoc Sponsalia cum Matrimonio, quod ni fuerint ambo cum conditionibus statutis à Sacro Concil. Trid. sess. 24. cap 1. nulla sunt.

Quid est effectus sponsaliorum?

Est obligatio ad Matrimonium contrahendum, per promissionem in ipsis sponsalibus factam.

Quid est Matrimonium ut Sacramentum?

Est contractus viri, & Fæminæ legitimus, quo mutua corporum traditur potestas in individuam vitæ consuetudinem retinens, gratiæ specialis collativus.

Quis instituit hoc Sacramentum?

Christus Dominus cum dixit, quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth. c. 19. & colligitur etiam ex D. Paulo 1. Corinth. 7. dicente: propter fornicationem autem unusquisque suam Uxorem habeat, & unaquæque suum virum.

Ad

Ad quem finem institutum fuit hoc Sacramentum?

Primo in bonum prolis, ut Filii procreentur, educentur, & instruantur: secundo in remedium concupiscentiæ, quia homo post peccatum originale multum proclivis remansit in actum carnis, & ideo inquit Apostolus Paulus: melius est nubere, quam uti. Tertio in mutuam Viri, & Uxoris societatem.

Quæ est materia remota, & quæ proxima?

Materia remota sunt ipsamet corpora Conjugum mutuo tradenda: Materia Proxima vero sunt ipsa corpora mutuo tradita.

Quæ est Forma?

Sunt verba Conjugum contrahentium

Quis est Minister hujus Sacramenti?

Sunt ipsimet contrahentes, & non Sacerdos.

Quis est effectus huius Sacramenti?

Est gratia, qua Vir, & Uxor mutuo Charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescit. Eph. 5. Viri diligite Uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea.

Quid est impedimentum Matrimonii?

Est quædam indispositio contrahentium reddens Matrimonium vel illicitum, vel invalidum.

Quo-

Quotuplex est hoc impedimentum?

Duplex est, aliud est impedimentum dirimens: & aliud non dirimens.

Impedimentum dirimens est illud, quod impedit Matrimonium, & si contrahatur reddit illud invalidum.

Impedimentum non dirimens est illud quod impedit matrimonium contrahendum, & si cum illo quis contrahat Matrimonium, peccat mortaliter. Matrimonium autem est validum.

Quæ, & quot sunt impedimenta dirimentia

Sunt quatuordecim; alia enim sunt de jure antiquo, & ista continentur in tribus primis carminibus, & alia de Jure novo, quæ continentur in tribus ultimis carminibus, ut infra.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis Affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptaque sit Mulier, nec parti reddita tute,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Quomodo sunt intelligenda?

Secundum communiorem Doctorum sententiam sic sunt intelligenda.

Ly Error intelligitur de errore non in fortuna, ſed tantum in Perſona.

Ly Conditio intelligitur de cognitione ſtatus deteriorante contrahentem errantem, & non aliter.

Ly Votum intelligitur de voto ſolemni, & non de ſimplici, de quo dicemus in impedimentis non dirimentibus.

Ly Cognatio intelligitur diverſimode juxta diverſitatem, & multiplicitatem Cognationis.

Quotuplex eſt Cognatio?

Triplex, ſcilicet ſpiritualis, Legalis, & naturalis.

Quid eſt Cognatio ſpiritualis?

Eſt illa, quæ contrahitur in Baptiſmo, & in Confirmatione, quæ modo juxta reformationem Matrimonii ſacr. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. Baptizantem, & Baptizatum, Confirmantem, & Confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentes non egreditur.

Quid eſt Cognatio Legalis?

Eſt ea, quæ inſurgit ex adoptione, ſeu arrogatione, qua quis alienum Filium recipit in ſuum.

Quos gradus amplectitur?

Hos tantum: Primus eſt inter ipſum adoptantem, ac adoptatum, ac adoptati Filios, & Nepotes uſque ad quartum gradum excluſive. Se-

Secundus est inter adoptantis Filios, ac ipsum adoptatum, qui tamen cessat mortuo eorũ Patre, aut Filiis emancipatis.

Tertius est inter Uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem, & Uxorem adoptati, ut habetur de Cognatione legali cap. unico.

Quæ est cognatio naturalis, quæ dicitur etiam Consanguinitas?

Est vinculum multorum ab una stirpe descendentium.

Quot lineas habet, & quot gradus amplectitur in unaquaque linea hæc cognatio?

Duas, scilicet rectam, & transversalem; & in linea recta est perpetuum impedimentum, & omnes gradus amplectitur à primo viro, & muliere, usque ad ultimum virum, & mulierem usque in finem mundi; in transversali vero est impedimentum tantum usque ad quartum gradum inclusive.

Quid est stirps Genealogica?

Est Persona illa, à qua omnes, de quorum conjunctione quæritur, per sanguinem descendunt, & originem ducunt

Quid est linea?

Est ordinata series Personarum consanguinearum deducta à stipite, secundum quam magis propinquus capiti, & stipiti præponitur, & successive alii eo or-

ordine, quo diſtant, poſtponuntur.

Quid eſt Linea recta, & quid collateralis?

Linea recta eſt ordinata ſeries Perſonarum diſcendentium à ſtipite vel immediate, vel mediate, ita ut tamen una ſit ab alia genita.

Linea collateralis eſt ordinata ſeries Perſonarum deſcendentium à ſtipite, ſive immediate, ſive mediate; ipſæ autem Perſonæ à ſe invicem per generationem non deſcendunt.

Quid eſt gradus?

Eſt talis diſtantia Perſonarum ſanguine junctarum, qua cognoſcitur quanta ſit proximitas, vel diſtantia inter Perſonas, quæ in linea includuntur.

Quid eſt adoptio?

Eſt voluntaria, & gratuita aſſumptio Perſonæ extraneæ ad hæreditatem, ac ſi eſſet Filius naturalis.

Ly Crimen intelligitur de Adulterio, de homicidio, vel uno alteri mixto, quod contingit in quatuor caſibus.

Primus eſt, cum unus Conjugum convenit cum altero non ſibi Conjugato, de occidendo realiter ſibi conjugatum, ut inter ſe contrahant poſtea Conjugium.

Secundus eſt cum unus Conjugum occidit, vel occidere facit alterum Conjugum

gum ut contrahat cum adultero, vel adultera.

Tertius est, cum unus Conjugum adulterat cum aliqua Persona, cum promissione eam accipiendi in uxorem post mortem alterius sibi Conjugati.

Quartus est cum unus Conjugum, qui per verba de præsenti cum una contraxerat Matrimonium, contrahit cum alia per verba de præsenti, & habet copulam; si tamen intercessit copula cum secunda, & si uterque est conscius criminis.

Ly cultus disparitas, intelligitur de disparitate cultus, idest inter fidelem, & infidelem, scilicet inter Baptizatum, & non Baptizatum.

Ly Vis, intelligitur de violentia gravi; nota, quod is, cui facta fuerat violentia, si assensum postea præbuerit, vel dederit, seu voluntarie copulam carnalem habuerit cum illo, a quo vim sustinuerat, nedum tenet eorum Matrimonium, verum & in foro exteriori compellentur illud contrahere.

Ly Ordo, intelligitur de Ordine sacro, quia adnexum habet votum solemne Castitatis.

Ly Ligamen intelligitur de Matrimonio rato, quamvis non consumato,

quia

quia utroque vivente, nemo eorum contrahere potest cum alia Persona Matrimonium.

Ly Honestas, intelligitur hoc impedimentum provenire, ex quadam quasi affinitate cum Consanguineis sponsi canonico jure introductum ob publicam morum honestatem; verbi gratia: qui fecit sponsalia valida cum aliqua muliere non potest ducere in uxorem consanguineam ipsius sponsæ in primo gradu. Si vero Matrimonium ratum contraxit cum aliqua muliere, non potest ducere in Uxorem ullam Consanguineam dictæ Mulieris usque ad quartum gradum inclusive, & viceversa. Ita Joseph August. de impedimento publicæ honestatis.

Ly Si sis affinis intelligitur diversimode juxta diversitatem, & amplitudinem affinitatis.

Quid est affinitas?

Est Cognatio quædam ex carnali copula consurgens, & proveniens.

Quotuplex est, seu quotupliciter contrahitur affinitas?

Dupliciter, una contrahitur per Copulam carnalem licitam, & altera contrahitur per Copulam carnalem illicitam

Quomodo differunt hæc duo ad invicem?

Affi-

Affinitas contracta per copulam carnalem licitam impedit matrimonium cum Consanguineis tam viri, quam Fæminœ in omnibus primis quatuor gradibus; contracta vero per copulam carnalem illicitam, impedit in duobus tantum primis gradibus juxta Decretum Sac. Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de Reform. Matrimonii.

Ly Si forte coire nequibis, intelligitur de impotentia coeundi, & impedimento emittendi semen intra vas fæmineum, præcedente Matrimonium, non superveniente post Matrimonium, & intelligitur de impotentia perpetuo duratura, nec aliquo tempore per medicamina cessatura.

Fit ne aliqua differentia inter illud, qui habet impotentiam ratione frigiditatis, & alium, qui est impotens ratione maleficii, ut aliam possit ducere uxorem?

Certo fieri debet differentia: Jura enim non concedunt frigido, ut post separationem ab una, ducat alteram, quia quod est naturale, semper est tale respectu cujusque: sed maleficiatis permittitur aliam ducere, quia aliquando Dæmon impedimentum facit alicui respectu unius, non autem respectu alterius, ut docet S. Tho. in 4. dist. 34.

art.

art. 4 & alii relati à P. Oct. à S. Jos. tit. 70. int. 23.

Ly si Parochi, & duplicis desit præsentia testis, quod cum sequenti est de jure novo, intelligitur, quod nullo modo potest fieri matrimonium sine præsentia Parochi, & testimonium ad differentiam matrimonii clandestini, quod validum antiquitus erat absque præsentia Parochi, & testium.

Ly Raptaque sit Mulier, nec parti reddita tutæ, intelligitur, quando rapitur mulier, sive soluta, sive conjugata, aut vidua, de loco in alium locum causa libidinis exercendæ, vel matrimonii contrahendi, & hujusmodi raptus duplex est: Primus est, si vis injusta exerceatur in ipsam puellam, quæ invita, & repugnans abducitur: secundus est, si vis injusta committatur erga parentes, vel tutores, sub quorum cura, & potestate puella existit, quamvis ipsa in abductionem consentiat.

Quot, & quæ sunt impedimenta impedientia tantum, & non dirimentia?

Præter peccatum mortale, & excommunicationem, sex potissimum reddunt matrimonium mortaliter illicitum, scilicet:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,

Atque Catechiſmus, Crimen, ſponſalia, votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Quomodo intelliguntur?

Ly Eccleſiæ vetitum, intelligitur prohibitio Eccleſiæ, quæ fit ab Epiſcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos. Vide Bonac. q. 1. punct. 14. num. 1

Ly Tempus Feriarum ſecundum Trid. ſeſſ 14. c. 10. de reform intelligitur. eſſe illud, quod incipit nunc ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam incluſive, & à die Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive; quo tempore non prohibetur ipſe contractus, ſed tantum nuptiarum ſolemnitates, ut eſt Benedictio nuptiarum, ſolemnis ſponſæ in Domum ſponſi traductio, ſolemniora convivia, & tripudia. Idem loc. cit. Sanch. lib. 6 diſt. 7 Con. d. 30. Fil. tract. 10. p. 2 cap. 9. M. Per. d. 43. ſ. 10. num. 7. Vide Gennettum. tom 5.

Ly Catechiſmus ſignificat tale impedimentum contrahi ab eo, qui reſpondet pro infante, quando ſupplentur cæremoniæ poſt Baptiſmum collatum in neceſſitate, ſed videtur ſublatum per Trid. ſecundum Sanch. Fag. Con. Fill. &c. qui ideo monent Parochos, ut in Libro

bro distinguant Patrinos Catechismi à Baptismi. Vid. Bonac, loc. c. 1.

Ly Crimen intellitur I. incæstus cum consangvinea in primo, vel secundo gradu, scienter admissus (qui impedit matrimonium cum quacumque alia persona-Vide Perez. d. 23 f. 5.) vel cum propria matre, vel filia. Secundo, raptus alienæ sponsæ. Tertio, uxoricidium. Quarto Presbytericidium. Quinto susceptio propriæ prolis ex Baptismo ad impediendam redditionem debiti Sexto publica Pænitentia, quamdiu durat. Septimo matrimonium cum Moniali. Verum hæc per non usum sunt sublata. Vide Laym. hic cap. 15. ex Nav. Sanch. lib. 7. d. 17. Con. d. 30. dub. 3.

Ly Sponsalia, intelligitur de sponsalibus cum una contractis, & non dissolutis; ideſt hoc impedimentum vetat, ne sponsus relicta sponsa ducat aliam, quia tenetur servare fidem suæ sponsæ.

Ly Votum intelligitur de voto simplici sive Castitatis, sive Religionis, sive non nubendi. Vide Sanch. l. 7. dub. 13 Regin. lib. 31. c. 24. n. 14. Bonac. l. c. n. 7.

A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonii?

Primo, Papa non potest dispensare in im-

pedimentis jure naturæ, vel Divino dirimentibus, niſi ex ſpeciali conceſſione, in iis vero, quæ jure Eccleſiaſtico dirimunt, poteſt. Ratio prioris eſt, quia inferior non diſpenſat in lege ſuperioris, nec homo in lege naturæ. Addidi niſi ex ſpeciali, quia ſic Pontifex, non tamen Epiſcopus poteſt matrimonium ratum diſſolvere ex juſta cauſa. Sanch. Leſſ. Præp. qu. 5. d. 8. Buſemb. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 4.

Secundo in impedimentis non dirimentibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare univerſaliter, quod addo, quia excipiuntur illa, quæ in jure naturali, & Divino impediunt, ut Votum Caſtitatis abſolutum, & perfectum: Bonac. q. 3. p. 15. ex Nav. Sanch. &c. etiam ſponſalia priora, ut habet Tanner d. 8. q. 4. d. 2. n. 30. &c. & alii apud. Buſemb. l. 6. tract 6. c. 3. dub. 14.

Similiter Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis, quæ Matrimonio ſuperveniunt, & impediunt petitionem debiti v. g. Cognationis ſpiritualis, vel affinitatis Bonac. loc. cit. Sanch. lib. 8. d. 12. num. 16, Fill. loc. cit. ubi excipit incæſtum commiſſum, Matrimonio conſummato cum conſangvineis uxoris in iis, qui non ſunt Juvenes.

Tertio, ut licite dispensetur in impedimentis dirimentibus requiritur justa causa, qualis secundum Fill. cap. 8. est v. g. 1. extinctio magnæ litis, vel odii, inter agnatos: 2. ablatio scandali: 3. Inæqualitas Matrimonii, nisi consanguineis, vel affinibus nubatur: 4. Defectus dotis competentis: 5. Conservatio facultatum in eadem cognatione: 6. Merita petentis dispensationem. Plures vide apud Sanch d. 19 Coninc. d. 33. Hurtad. d. 26. Mart. Perez d. 44. sect. 5. ubi notat. 1., quod quanto gradus consangvinitatis, vel affinitatis est propinquior, tanto requiritur causa gravior: secundo sepe plures aggregatas causas sufficere, quorum singulæ non sufficerent. Vide etiam Dian: p. 3. t. 3. R. 93.

Quotupliciter potest amitti debitum Conjugale?

Tripliciter, nempe ratione voti, ratione incæstus, & ratione cognationis spiritualis. Ita Doctores commun.

Quid est Divortium?

Est separatio Conjugum quoad thorum, & habitationem, conjugii vinculo permanente.

Quotuplex est divortium?

Duplex est, perpetuum, & ad tempus. Perpetuum est illud, quod fit causa

Adul-

Adulterii cap. Gaudemus, & cap. ex Litteris, de divortiis.

Ad tempus est illud, quod fit ob alias causas, de quibus modo: 1. sunt illæ quæ concernunt periculum fidei, ut si Conjux sit factus hæreticus: 2. Periculum animæ, ut si Conjux ad sodomiam sollicitet, aut ad peccatum: 3. Periculum corporis: ut si Conjugi superveniat lepra, seu morbus contagiosus: si Conjux unus alterius vitæ insidietur, aut sævitiam exerceat in uxorem.

Quot sunt causæ sufficientes ad faciendum divortium quoad thorum, & habitationem, quamdiu ipsæ causæ durant?

Septem causæ numerantur à Doctoribus, in quibus liceat facere divortium ad tempus, scilicet quamdiu ipsæ causæ durant.

Prima causa est sævitia mariti, scilicet periculum gravis damni, seu malæ tractationis, nisi a marito sufficiens cautio exhibeatur de non offendenda Conjuge, quæ cautio debet esse pignoratoria, & si dejussoria, vel saltem juratoria.

Secunda causa est furor alterius Conjugis, quando furor est ita vehemens, ut alter Conjux periculum subeat cohabitando.

Tertia caufa eft, quando unus Conjugum tentavit alterum occidere.

Quarta caufa eft, quando alter Conjux inftigat alterum ad peccatum, & præmiffa correctione non defiftit ab inftigando.

Quinta eft, quando delictum unius Conjugis poteft effe alteri caufa gravis damni, ut quando uxor eft venefica interficiens Filios, aut timetur, ne necet Maritum.

Sexta caufa eft lapfus unius in infidelitatem, vel hærefim, nam hærefis, vel infidelitas eft quædam fornicatio fpiritualis. Unde ficuti eft licitum ob fornicationem carnalem facere divortium, ita ob fornicationem fpiritualem, ut habetur ex cap. Idolatria, & cap. quanto de Divort.

Septima caufa tandem poteft effe votum Caftitatis emiffum de communi confenfu, in quo cafu, non folum poffunt feparari quoad thorum, fed etiam quoad habitationem, cum poffint ambo Religionem ingredi, & in ea profiteri. Ita pluribus relatis docet Bonac. de Matr. q. 4. pun. 5. n. 25. per totum, ut refert P. Oct. a S. Jof. tit. 72. int. 3.

Quid eft Bigamia vera, & proprie dicta?

Tri-

Triplex eſt, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria.

Bigamia vera illa dicitur, quando quis duas, vel plures uxores ſucceſſive ducit; & cum utriuſque copulam perficit.

Bigamia interpretativa illa dicitur, quando Conjugatus denuo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet; vel quando unam uxorem legitimam habuit, poſtea aliam invalide ducit cum impedimento dirimente, & cum ea effectu maritali, & uti uxore Matrimonium conſumat vel ſemel Matrimonium cum Fæmina ab alio cognita, ſive antecedenter nupta, ſive Vidua contrahit. Denique quando quis contrahit Matrimonium cum Virgine, eamque cognoſcit, poſtquam ipſa adulterata fuerit, ſive per vim, aut metum. Noto tamen, quod qui ducit Fæminam à ſe ipſo corruptam ante Matrimonium, non fit bigamus, quia caro non eſt diviſa, juxta veriorem, & communiorem ſententiam.

Bigamia ſimilitudinaria eſt quando quis poſt votum ſolemne Caſtitatis emiſſum in Ordinibus ſacris, vel in Profesſione in approbata Religione, Matrimonium celebrat cum aliqva virgine, vel corrupta, eamque carnaliter cognoſcit & licet Matrimonium ſit nullum, prete-

terea ſit irregularis ratione bigamiæ, qui hujusmodi matrimonium contrahit, nec non comittit ſacrilegium, & eſt ſuſpectus de fide.

Quid eſt Polygamia?

Eſt quando ſimul plures habentur uxores.

Quid eſt Virogamia?

Eſt, quando Fæmina Matrimonium contrahit cum pluribus viris, quod quidem jure naturæ eſt prohibitum, cum repugnet fini primario Matrimonii, qui eſt procreatio Prolis. Et poſito, quod proles naſcatur, non bene educabitur propter ejus incertitudinem, ideoque in hoc nunquam diſpenſatum fuit, ſicuti diſpenſatum legimus in veteri lege quoad pluralitatem uxorum.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI IN COMMUNI.

Quid eſt præceptum?

Eſt recta agendorum, aut omittendorum ratio.

Quotuplicis generis ſunt?

Multiplicis generis: alia enim ſunt primæ Tabulæ, & alia ſecundæ Tabulæ. Rurſus alia ſunt affirmativa, & alia negativa.

Præcepta primæ Tabulæ ſunt illa, quæ pertinent ad amorem, & cultum Dei,

videlicet primum, ſecundum, & tertiũ.

Præcepta ſecundæ Tabulæ ſunt illa, quæ pertinent ad amorem proximi, & ſunt reliqua ſeptem ſequentia.

Præcepta affirmativa ſunt illa, quibus præcipitur aliquid fieri, & obligant ſemper, ſed non ad ſemper, ideſt obligant ad adorandum unum Deum, ad feſta ſanctificanda, & ad Parentes honore habendos, ſed non ad ſemper, ita quod ſemper habitualiter, virtualiter, & actualiter hæc obſervare teneamur; ſufficit enim, quod ſemper obſerventur habitualiter, actualiter vero tantum loco, & tempore opportuno.

Præcepta negativa ſunt illa, quibus prohibetur aliquid faciendum, quæ non ſolum obligant ſemper, verum etiam ad ſemper, quia nunquam pro quavis differentia temporis licet facere contra illa; nunqvam enim licet Nomen Domini in vanum ſumere, nec occidere, nec furari, nec mæchari, ſeu adulterari, nec falſa dicere, nec uxorem, ſeu rem Proximi ſui concupiſcere, & ob hoc iſta virtualiter, habitualiter, & actualiter ſemper obſervare tenemur.

Quale peccatum eſt transgredi precepta?

Eſt peccatum mortale, niſi una ex his tribus cauſis excuſet.

Pri-

Prima eſt defectus deliberationis.

Secunda eſt defectus pleni judicii, vel conſenſus.

Tertia materiæ parvitas, & exiguitas, dummodo ob hanc materiæ parvitatem non accedat contemptus: contemptus enim cujuslibet præcepti, etiam ſub veniali tantũ obligantis lethale peccatum eſt, ut cum Doctorũ communi ſenſu docet Navar.cap. 23.n.25. Quamobrem, qui ex contemptu transgreditur præceptũ in materia gravi, ex ſe obligans ad mortale, duo mortalia peccata committit, unum contemptus, alterum transgreſſionis præcepti, neceſſario in Confeſſione explicanda. Ita Fern. par. 1. cap. 1. § 1. n. 4

Quot ſunt præcepta Decalogi?

Sunt decem videlicet: Primum, unum cole Deum.

Secundum, ne jures vana.

Tertium, Sabbata ſanctifices.

Quartum, honora Parentes.

Quintum, non occides.

Sextum, non mæchaberis.

Septimum non furaberis.

Octavum, non feres falſum teſtimoniũ.

Nonum, non concupiſces rem alienam

Decimum, non concupiſces alienam mulierem.

Notandum tamen eſt, quod hujuſmo-

di Præcepta licet fuerint a Deo data, naturalia tamen sunt.

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI: UNUM COLE DEUM.

DE ADORATIONE.

Quid est Adoratio?

Est exhibitio reverentiæ, & servitutis alicujus rei propter ejus excellentiam, & dignitatem.

Quotuplex est?

Adoratio triplex est, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ.

Adoratio Latriæ est exhibitio summæ servitutis, & reverentiæ, quæ soli Deo debetur; tanquam ultimo fini propter ejus dignitatem, superioritatem, & excellentiam.

Adoratio Duliæ est exhibitio servitutis, & reverentiæ, quæ sanctis præstari solet propter excellentiam, & dignitatem, quam habent in gratia, & amicitia Dei perpetua, & inamissibili.

Adoratio, Hyperduliæ, est exhibitio servitutis & reverentiæ erga B. Virginem Mariam propter excellentiam, & dignitatem, quam habet ex speciali affinitate, & connexione cum Deo.

Quid est superstitio?

Est vana, seu falsa Religio indebitum cultum Deo exhibens, vel cultum Deo, & sanctis debitum transferens, ad alia,

quæ neque Deus sunt, neque connexionem habent cum ipso in gratia, & sanctitate.

Quid est Magia?

Est ars falsa a Dæmone inventa ad finem faciendi effectus mirabiles, & extraordinarios ope Dæmonis.

Quid est Divinatio?

Est superstitiosa prædictio eventus futuri, quæ fieri nequit vià ordinaria, & arte humana, sed ope Dæmonis.

Quid est vana observantia?

Est augurium boni, vel mali ex consideratione certarum rerum casu occurrentium, & naturaliter incapacium præsagire.

Quid est Pyromantia?

Est expressa Dæmonis invocatio per ignes, ut ea sciantur, quæ natura duce sciri non possunt.

Quid est Maleficium?

Est ars falsa à Dæmone tradita ad finem nocendi aliis opere Dæmonis accurrentis ad nutum alicujus dicti, signi, vel facti.

Quid est Sortilegium?

Est tacita Dæmonis invocatio ad ea scienda per sortes, quæ nullo modo ex causis naturalibus patere possunt.

Quænam interest differentia inter maleficium, & veneficium?

Aliud

Aliud est maleficium, aliud vero veneficium, unde non sunt idem, sed diversa; maleficium enim est ars nocendi ex pacto, & auxilio Dæmonis, ut docent Sylvester verb. Maleficium num. 1. Tol. lib. 4. cap. 10. num. 3., & alii communiter; sed veneficium est aliquid arte Dæmonis fabricatum, quo malefici ejusdem Dæmonis auxilio per occultam veneni applicationem alteri nocet, vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ. Ita Finell. de Cas. reserv. cas. 2. num. 2 & alii relati apud. P. Oct. à S. Jos. tit. 70. int. 15.

Quænam differentia est inter veneficia, incantationes, & sortilegia?

Hæc tria specie non differunt, sed tantum ex parte materiæ, seu modi, quo fiunt; conveniunt enim in formali malitia, quæ est fieri instigante, vel paciscente Dæmone, & differunt duntaxat in hoc, quia veneficium fit applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum, non utendo aliquibus verbis, neque cæremoniis: Incantatio, vero fit dicendo verba inutilia, aut inefficacia ad talem effectum, non apponendo res naturales, sed sola verba: sortilegium denique fit mittendo sortes, vel quid æquivalens ad cognoscendum secretum preteri-

teritum, vel futurum; ita ut semper in his tribus concurrat Diabolus. Ita P. Oct. a S. Jos. tit. 70. int. 16. cum aliis ab eo ibi citatis.

Quid est Blasphemia?

Est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, & cultum ipsis debitum.

Quotuplex est Blasphemia?

Duplex est, Hæreticalis una, simplex altera.

Blasphemia Hæreticalis est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, quoad verba continens errorem in fide.

Blasphemia simplex, est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, non continens errorem in fide.

Quot modis quis blasphemat?

1. Per modum ennunciationis, ut Deus est impotens: 2. per modum imprecationis, ut pereat Deus; 3. per modum detestationis, ut ad despectum Dei.

Quid est sacrilegium?

Est violatio rei sacræ.

Quot modis quis committit sacrilegium in furto?

Primo cum furatur sacrum de sacro: 2. cum furatur sacrum de non sacro: 3. cum furatur non sacrum de sacro,

Quid

Quid est tentatio Dei?

Est actus contra Religionem, quo quis absque justa causa aliquid facit, vel dicit ad capiendum experimentum de Divina perfectione puta justitia, sapientia, & Omnipotentia.

DE SIMONIA.

Quid est Simonia?

EST venditio rei spiritualis, aut spirituali adnexæ pro temporali.

Quotuplex est Simonia?

Simonia alia est mentalis; alia est conventionalis; alia est realis, alia est ficta, & alia est confidentialis.

Simonia mentalis est traditio temporalis pro spirituali sine pacto explicito, sed tantum mente retento.

Simonia conventionalis est conventio partium, quæ paciscuntur de temporali dando pro spirituali.

Simonia realis est traditio temporalis pro spirituali juxta promissionem & conventionem factam.

Simonia facta est ficta conventio dandi temporali pro spirituali cum intentione non adimplendi.

Simonia confidentialis est renunciatio, permutatio, aut resignatio beneficii sine licentia legitimi superioris sub confidentia rei temporalis acquirendæ.

Quo-

Quotuplex est materia, in qua committi potest Simonia?

In Ordine, in Beneficio, in Professione Religiosa, & in aliis rebus sacris.

Quotuplex est pretium Simoniacum?

Aliud est munus à manu; munus à lingua, munus ab obsequio.

Quo jure est prohibita Simonia?

Naturali, Divino, & Humano. Ita Tolet. lib. 5. c. 85. Naturali, quia prohibet vendere, & pretio æstimare temporali, quod venale non est, quia omne pretium temporale excedit. Divino, Matth. 7. Gratis date, quod gratis accepistis. Positivo 1. q 3 per totum & multis aliis Canonibus; & ideo graviter fuit hoc vitium reprehensum à D. Petro act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem: & ab Eliseo Proph. 4. Reg. 5. cum vindicavit Simoniam Giezi lepræ morbo.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Quid est virtus Theologica?

EST virtus supernaturalis, quæ habet pro objecto motivo, & terminativo Deum.

Quotuplex est?

Virtus Theologica triplex est, nempe: Fides, Spes, & Charitas.

Quid est Fides?

Est

Eſt Virtus Theologica inclinans ad firmiſſime credendum aliquem articulum, quia Deus illum revelavit, & Eccleſia proponit.

In quo conſiſtit Fides?

Conſiſtit in hoc, quod homo captivet ſuum intellectum ad aſſentiendum his, quæ revelata ſunt à Deo, quamvis naturalem capacitatem rationis excedant.

Fac actum Fidei?

Credo Deum eſſe unum, & trinum, quia Deus ita revelavit Eccleſiæ, & Eccleſia mihi proponit credendum.

Qua neceſſitate articuli Fidei credendi ſunt?

Alii credendi ſunt neceſſitate medii, alii vero neceſſitate præcepti.

Qui ſunt credendi neceſſitate medii?

Deus unus, & trinus, remunerator bonorum, & vindex malorum; Incarnatio, Paſſio, & Reſurrectio Chriſti Domini.

Quinam ſunt credendi neceſſitate præcepti?

Omnes articuli, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum, omnia Sacramenta, & quidquid Sancta Eccleſia proponit ut credendum.

Quid eſt neceſſitas medii?

Eſt neceſſitas abſoluta, & ſimplex ita obligans ſub pæna mortis æternæ ut nul-

nullam admittat excusationem.
Quid est necessitas præcepti?
Est necessitas secundum quid, quæ obligat quidem sub pæna mortis æternæ, sed admittit excusationem ignorantiæ invincibilis.
Quid est Spes?
Est virtus Theologica inclinans ad Beatitudinem consequendam auxiliante nos gratia Dei per merita Christi, non vero nostræ naturæ viribus.
In quo consistit Spes?
Consistit in hoc, quod homo innitens auxilio Divino confidit bene agendo ad æternam Beatitudinem pervenire.
Fac actum Spei?
Spero propter gratiam Dei, ex meritis Christi obtinere Beatitudinem supernaturalem.
Quid est Charitas?
Est virtus Theologica inclinans ad amandum Deum super omnia propter suam infinitam bonitatem, & Proximum propter Deum.
In quo consistit Charitas?
Consistit in hoc, quod homo totum studium suum deputet ad vacandum Deo omnibus aliis prætermissis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit.
Fac actum Charitatis?

Di-

Diligo toto corde Deum, quia summe bonus, & amabilis est.

Quid est Hæresis?

Est error intellectus cum pertinacia voluntatis circa aliquem articulum Fidei à Deo revelatum, & ab Ecclesia propositum.

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI. NON JURES VANA.

DE JURAMENTO.

Quid est Juramentum?

EST invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus dicti, vel facti, vel promissionis.

Quotuplex est?

Juramentum quintuplex est, Assertorium, Promissorium, Contestativum, & Execratorium, & Comminatorium.

Juramentum assertorium est invocatio Divini testimonii, quo aliquid affirmatur vel negatur.

Juramentum Promissorium est invocatio Divini testimonii, quo aliquid promittitur.

Juramentum Contestativum est invocatio Divini testimonii, quo Deus simpliciter, & testis invocatur.

Juramentum execratorium seu imprecatorium est invocatio Divini testimonii quo Deus non solum invocatur, ut te-

stis,

ſtis, ſed ut ſibi, vel ſuis vindex, niſi ſua dicta veritati correſpondeant; ut ſi hoc non fecero, vel ſi non eſt verum, tollat me Deus ſubitanea morte.

Juramentum Comminatorium eſt invocatio Divini teſtimonii, quo quis promittit alicui malum pænæ, v. g. per Deum te verberabo, in quo duæ ſunt malitiæ ſpecie diſtinctæ in confeſſione explicandæ, una contra charitatem, qua vult alteri malum, altera contra reverentiam, qua ad illud abutitur authoritate Dei, qui malum abhorret.

Quot ſunt conditiones, quæ ſunt juramenti comites, ad hoc, ut liceat?

Ut juramentum licite fiat, requiruntur tres comites, ſeu conditiones: Veritas, Judicium, & Juſtitia. Jerem. 4. Et jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia. Veritas conſiſtit in hoc, quod res ſit vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera. Judicium, ut ſcilicet juramentum non fiat ſine neceſſitate, gravi cauſa, aut utilitate, ſed cum prudentia. Juſtitia expoſcit, ut quod juratur, ſit res licita, & honeſta. Si deſit veritas, eſt peccatum mortale, & dicitur Periurium: periurium enim eſt juramentum, cui deficit veritas; ſi deſit judicium, re-

gu-

gulariter est veniale; si desit justitia, erit grave, vel leve, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ. Contra primam conditionem non potest dari parvitas meteriæ, quia veritas consistit in indivisibili: bene vero contra secundam, & tertiam. Vide Prop. 24. ab Innocentio XI. damn.

DE ADJURATIONE.

Quid est adjuratio?

Est actus, quo inducitur persona ad aliquid faciendum, vel non faciendum, invocatione alicujus sancti aut rei sacræ: v. g Adjuro te Deum vivum per Jesum Christum Filium tuum, ut des mihi salutem animœ, & corporis. Unde est actus Religionis.

Quot modis fieri potest adjuratio?

Potest fieri dupliciter, per deprecationem, & per imperium.

Quot conditiones requiruntur ad hoc, ut sit licita?

Tres requiruntur comites, seu conditiones, nempe veritas, Judicium, & Justitia

Veritas consistit in hoc, 1. ut adjuratio fiat per verum Deum, & per res vere sacras, unde si fieret per falsos Deos &c. esset mortalis: 2. ut res non petatur ficte, sine animo obtinendi; & tunc esset venialis : Ju-

Judicium consistit in hoc: 1. quod adjuratio fiat prudenter, minime leviter, & sine occasione, & tunc esset venialis: 2. quod Deus, & sancti non adjurentur imperative, sed deprecative; nec dæmon deprecative, sed imperative, quod esset mortale; nam imperium supra Deum, & sanctos esset injuria, & contemptus; deprecatio erga Dæmonem, esset amicitia, & submissio.

Justitia consistit in hoc, quod res, quæ petitur, sit honesta; nam si mala, adjuratio esset peccatum mortale, aut veniale, juxta gravitatem, aut levitatē malitiæ rei.

DE VOTO.

Quid est votum?

Est promissio deliberata, & voluntaria facta Deo de meliori bono.

Quid est Propositum?

Est sola voluntas faciendi opus; promissio huic voluntati addit voluntatem se obligandi alteri, & in casu voti se obligandi Deo.

Quotuplex est votum?

Primo aliud est solemne, simplex aliud: aliud absolutum, aliud conditionale, aliud pænale. Rursus aliud est votum reale, aliud personale, aliud mixtum.

Votum solemne est illud, quod acceptatur ab Ecclesia, ut votum Castitatis

ſacris Ordinibus annexum, & profeſſionis Religioſæ.

Votum ſimplex eſt illud, quod talem ſolemnitatem non habet, ſed emittitur privata authoritate.

Votum abſolutum eſt illud, quod fit ex amore ad materiam, quam voves: ut ſi voveas Caſtitatem ex amore Caſtitatis.

Votum conditionale eſt illud, quod fit ſub conditione, ex affectu ſcilicet ad habendam, vel non habendam conditionem; v. g. voveo Caſtitatem, ſi Deus me liberet ab hac tempeſtate.

Votum pænale eſt illud, quod fit in pænam; ut voveo jejunium, ſi luſero.

Votum reale eſt illud, in quo promittitur res externa, ut elleemoſyna.

Votum Perſonale eſt illud, in quo promittitur actio perſonæ, vel ejus omiſſio: ut peregrinatio, vel omiſſio ludi.

Votum mixtum eſt illud, in quo promittitur utraque; ut peregrinatio cum eleemoſyna.

Quinam ſunt modi, quibus tollitur obligatio voti?

Interpretatio, ſeu Epicheja; cauſa rationabilis, irritatio, diſpenſatio, & commutatio.

Quænam differentia eſt inter diſpenſationem, commutationem, & irritationem votorum?

Diffe-

Differentia est ista, quia dispensare in voto nihil aliud est, quam nomine Dei condonare obligationem voti, quam vovens erga Deum contraxerat vovendo, ut docet Cajetanus 22. q. 88. art. 12. & alii communiter. Commutare votum est materiam voti in aliam mutare, & ideo non aufertur simpliciter obligatio sed una substituitur loco alterius. Irritare autem est annullare votum factum, & facere, ut non sit obligatorium, nec verum votum; & hæc irritatio pertinet ad potestatem dominativam, nec requirit causam ad sui validitatem, sicut requirit commutatio, & dispensatio. Cæterum commutare votum in minus, vel dispensare pertinet ad potestatem spiritualem, sed commutare in evidenter melius quilibet propria auctoritate potest, cum manifesto constet id, quod est evidenter melius, Deo gratius, & receptius esse. Sed non potest quis propria auctoritate votum reservatum Papæ in opus evidenter melius commutare; nihil esse melius Castitate, Religione æstimatur.

Nota, quod omnia alia vota possunt commutare in Religionis ingressum, propter summam Religionis perfectionem, ut habetur cap. scripturæ de voto, & docet

cet P. Syrus. Vota denique, aut juramenta Deo facta in bonum evidenter æquale propria auctoritate commutari non posse probabilius est, ut docent plurimi, quos refert, & sequitur Leander. Adverte tamen, ut valide, & licite fiat commutatio; necessariam esse justam causam, ut omnes apud Leandrum fatentur. Ita P. Oct. à S. Jos. tit. 70 int. 28.

DE III PRÆCEPTO DECALOGI. SABBATA SANCTIFICES.

Quid est sanctificatio sabbati?

Est præbere Deo certis diebus ab Ecclesia destinatis exteriorem cultum abstinendo se ab operibus servilibus, & exercendo se in operibus sanctis.

Obligatio cessationis ab operibus servilibus quandonam incipit, & quando desinit?

Hoc præceptum præcipit cessationem ab operibus servilibus à medio noctis antecedentis, usque ad medium noctis sequentis, & obligat sub mortali. Vide Prop. 52. ab Innoc. XI. damn.

Quid est Opus servile?

Illud dicitur opus servile, quod spectat principaliter ad laborem corporis; & regulariter fit ab operariis, ac servis, & licet fieri possit a Dominis, potius fit a servis, ut arare, fabrilia agere, & alia

artis mechanicæ opera, quæ laborem corporis solum requirunt.

Ultra hæc sunt Jure Canonico etiam sub mortali prohibita quinque opera non servilia, seu actus forenses: mercatus, judicium Civile, aut criminale, juramentum judiciale, omnis Processus, & actus judiciales; exceptis illis, qui ob pietatem fiunt.

Quoad mercatum, attendenda est consvetudo locorum. Clericatus c. 47. n. 34. Item testes possunt examinari die Festo, si juramentum sit datum die præcedenti, vel si causæ expeditio immineat, ob bonum commune. Clericatus cit. num. 37 & Judex potest amicabiliter partes componere.

Ars liberalis dicitur, quæ principaliter spectat ad animum, ut Organa pulsare, choreas agere, digladiare &c.

Inter opera servilia, & artes liberales sunt opera media, quæ non prohibentur, etiam si fiant ob lucrum, ut venari, piscari, iter agere &c. Quæ omnia docet Fel. Pot. tom. 1. par. 2. nu. 2020. 2021. 2023. & 2024.

Quænam sunt causæ, quæ excusant a peccato, propter transgressionem hujusmodi Præcepti?

A peccato excusat: 1. Consuetudo: sic sæpe

ſæpe excuſantur Barbitonſores, & in pluribus locis Nundinæ: 2. Utilitas, nempe timor amittendi magnum lucrum: 3. Neceſſitas, ſive communis, ſive privata propria, vel aliena v. g. ſi ſine gravi incommodo, detrimento, aut periculo opus omitti non poſſit: 4. Pietas in Deum, ut templum verrere, parietes paramentis ornare, minime illis ſpoliare; nec licet parietes fabricare &c. niſi neceſſitas urgeat. Si cauſa ſit dubia, petenda eſt diſpenſatio ab Epiſcopo: cujus etiam licentia eſt petenda in cauſa neceſſitatis, ſi opus ſit publicum.

Qui excuſantur?

Excuſantur Piſtores, Macellarii, Pharmacopolæ, Inſtauratores Pontium, Viarum &c. quæ moram non patiuntur, Coquinarii &c Piſcatores Thunnorum &c. qui certo tantum anni tempore id poſſunt. Vindemiatores tempore vindemiæ. Sartores pro rebus neceſſariis in nuptiis, funeribus &c. ſi aliter ſatisfacere non poſſunt. Agricolæ, ſi laborent ad præcavendum damnum ob pluviam, aut tempus, quod prævident. Naucleri pendentes a ventis Coctores calcis &c. & quoties opus incæptum non poteſt ſine damno interrumpi. Servi, & ſervæ coacti a Dominis, ut laborent, qui tamen deberent illos deſerere, ſi frequenter con-

tingat. Idem reficientes suas vestes, si aliis diebus non possint. Pauperes, & artifices, qui suam familiam alere non valeant, nisi laborent, si sine scandalo faciant. Communis, ut videre est apud Fel. Pot. loco supracit. nu. 2028.

Cæterum pro nuptiis, & aliis causis, quorum exequtio est in libertate Dominorum, omnino curare debent Domini, ut vel exequtionem negotii post tot dies postponant, vel operariorum laborem per tot dies anticipent, quot sufficiunt, ut dies festivi medii vacent: alioquin eos a peccato mortali non excuso; bene vero, si sine gravi incommodo nec postponere, nec uti supra anticipare valent.

Denique a mortali excusat parvitas materiæ: talis erit, si labor unam, aut duas horas non excedat.

Licitum est docere, scribere, & transcribere etiam pro pretio, quia non sunt opera servilia, sed liberalia. Nec pretium facit opus esse servile, si ex se tale non sit; sicut e contra, non licet facere opus servile gratis, quia per hoc non cessat esse opus servile. Ita Fel. Pot. loc. cit. num. 2029. 2030. & 2031.

DE IV. PRÆCEPTO DECALOGI.
HONORA PARENTES

Filii, & subditi respective, quid præ-

stare

ſtare tenentur parentibus, ac Superioribus?

PRæſtare tenentur amorem, reverentiam, & obedientiam: ita ut, ſi in his graviter deficiant, peccent mortaliter, & debeant in Confeſſione circumſtantiam aperire, quia contrahunt malitiam ſpecie diſtinctam; nam peccant contra pietatem. Pietas eſt Charitatis ſpecies, quæ ab illa diſtinguitur per hoc, quod reſpiciat Parentes, Patriam & Conſangvineos.

Filius, quando peccat mortaliter contra amorem, contra reverentiam, & contra obedientiam?

Filius mortaliter contra amorem peccat: 1. ſi Parentibus ſigna odii oſtendat; 2. ſi mortem, aut grave malum illis exoptet: 3. ſi neceſſitate corporali, aut ſpirituali urgente, poſſit, & non ſubveniat: ſi cum ſit hæres, horum vota, legata, & teſtamenta non impleat.

Contra reverentiam mortaliter peccat: 1. ſi verbis contumelioſis &c. graviter offendat: 2. ſi eos etiam leviter percutiat. Imo etiam ſi manum ad percutiendum deliberate elevet: 3. ſi Pauperes agnoſcere nolit, & deſpiciat; ſi vero ex juſta cauſa nolit eos apud ſe habere, & ſolum exterius ſe noſſe diſſimu-

mulet, modo de necessariis iis prospiciat, a gravi peccato excusatur; quia in tali casu Parentes non sunt rationabiliter inviti: 4. si in foro externo, etiam de vero crimine accuset, excepto crimine hæresis, proditionis Patriæ, & conspirationis in Principem.

Contra obedientiam mortaliter peccat: 1. si in iis, quæ ad bonos mores, & gubernationis onus spectant, ubi res gravis est, sit inobediens: 2. si contra expressam Parentis voluntatem ducat Uxorem plane se indignam: 3. si nupserit Parentibus inconsultis; si tamen consuluit, illi vero denegavere, potest iis invitis nubere, si sponsa sit se digna, nam in electione sui status est sui juris. Bonac. & Busem.

Ad quid tenentur Parentes erga Filios?

Præstare tenentur Filiis instructionem, seu educationem, bonum exemplum, correctionem, & alimenta, ita ut si graviter defecerint, peccent mortaliter, etiamsi proles sit spuria.

Mater tenetur prolem alere usque ad annum tertium. Deinde tenetur eam alere Pater usque ad emancipationem, dotem dare Filiæ, etiam volenti Monasterium ingredi.

Pater tenetur alimenta præstare Filio

lio secundum convenientiam statum.

Mater tenetur per triennium lactare Filium naturalem, aut spurium. Quod si non possit, tenetur Pater solvere expensas. Post triennium tenetur Pater illi alimenta dare, etiam ex redditibus Ecclesiasticis, si alia bona non habeat, & Filiam spuriam dotare. Si Pater non valeat, obligatio cadit in Matrem, & in hujus defectum, tenentur Avi, & alii ascendentes, primo loco ascendentes Patris, secundo loco ascendentes Matris; si vero talis Filius factus adultus possit sibi consulere, & habeat unde sustentari, tunc non tenentur Parentes ad alimenta. Mendo cit. quia jus naturæ exposcit, ut necessitati provideatur, adeoque hac cessante obligatio naturalis cessat.

Et addit Mendo: si dubitetur, quisnam e duobus sit Pater Filii illegitimi, uterque tenetur pro medietate eum alere; si unus nolit, alter non tenetur integra alimenta præstare, quia filius non habet integrum jus contra illum; si autem alter sit ditior, aut nobilior tenetur plus præstare, quam minus nobilis, aut dives, quia ex se divites, & nobiliores debent filiis præstantiora suppeditare alimenta. Ita Fel. Pot. p. 215. n. 2045.

Parentes mortaliter peccant, si exponant

nant Filios Hoſpitali, niſi eos alere non poſſint, aut niſi adſit periculum infamiæ, aut gravis damni, ſi proles ſit ex fornicatione. Ita Fel. P. loc. cit. n. 2046.

DE V. PRÆCEPTO DECALOGI.
NON OCCIDES.
DE HOMICIDIO.

Quid eſt Homicidium?

HOmicidium eſt injuſta hominis occiſio; ſeu eſt privatio vitæ corporalis humanæ.

Quotuplex eſt Homicidium?

Homicidium duplex eſt, voluntarium, & caſuale.

Homicidium voluntarium eſt actio deliberata, & violenta, qua quis vel per ſe vel per alium homini vitam aufert.

Homicidium caſuale eſt actio, quæ præter intentionem agentis homini vitam aufert.

Quid eſt mutilatio?

Mutilatio eſt membri amputatio, & omnis læſio corporis.

Quid eſt abortus?

Eſt ejectio fætus immaturi, jam concepti ex utero, ſive fætus ſit animatus, ſive non. Vel Abortus eſt imperfecta fætuum emiſſio, utcumque facta fuerit.

Quid eſt Abortum procurare?

Eſt applicatio ſtudioſa alicujus medii,

ad ejiciendum fætum animatum mortifere ante tempus, etiam effectu sequto. & hoc modo est casus reservatus. Ita Bordonus de 6. casu reser. resol. 54. n. 2.

Quid est vulnus?

Est læsio partis ex disruptione proveniens.

Quid est occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Est actio occisiva aggressoris ex necessitate juste defensionis, cum aliter quis non potest se defendere, quam occidendo

Quid est occisio sine moderamine inculpatæ tutelæ?

Est actio occisiva aggressoris, occasione justæ defensionis, quam aliter quis poterat obtinere, etiam non occidendo invasorem.

Quot sunt modi, quibus homicidium dicitur voluntarium?

Sunt sex: Factum, Præceptum, Consilium, Negatio auxilii debiti, Patrocinium Occisoris, & Cooperatio ad occisionem: scilicet si quis opere suo exequatur homicidium, si imperet, & mandet, si consulat amico, vel Principi ut occidat, si debens, & potens impedire non impedit, si patrocinetur, & foveat Homicidas, si auxilio, & opere suo adjuvet alios ad occidendum.

Quid

Quid est Bellum?

Est multitudo Militium contra extraneos.

Quotuplex est Bellum?

Bellum duplex est, offensivum, & defensivum.

Bellum offensivum est actio, qua publica authoritate armis, & aliis instrumentis martialibus vis alteri Provinciæ infertur.

Bellum defensivum est actio qua publica authoritate vis illata Regno, seu Provinciæ ab exteris repellitur per possidentes.

Quid est Duellum?

Est pugna inter duos ex condicto suscepta, hoc est designando arma, tempus & locum, cum periculo vitæ, aut gravis vulnerationis.

DE SCANDALO.

Quid est scandalum?

EX D. Thom. est dictum, vel factum, quod est occasio ruinæ spiritualis Proximi.

Quotuplex est?

Scandalum duplex est; activum & passivum.

Scandalum activum est dictum, vel factum malum, seu speciem mali habens, prebens alteri occasionem ruinæ spiritualis.

lis. Est peccatum mortale, si est occasio peccati mortalis: veniale vero si venialis. Et tale est, etiamsi peccatum alterius, seu scandalum passivum non sequatur, quia per accidens est, quod non sequatur.

Quotuplex est Scandalum activum?

Duplex est, aliud directum, indirectum vero aliud.

Tunc scandalum activum dicitur directum, si malum, aut speciem mali habens, dicis, aut facis intendens ruinam spiritualem proximi, sive formaliter ob damnum spirituale proximi, quod est proprium Dæmonis, sive materialiter ob proprium commodum, & utilitatem, quod est proprium hominis; ut si quis verba obscæna dicat coram muliere, ut eam inducat ad peccatum.

Scandalum activum indirectum dicitur, si malum, aut speciem mali habens, dicis, aut facis prævidens esse aptum natum, ut sit alteri occasio peccandi, licet id non intendas. Malum dicitur, quod in se est malum. Speciem mali habens dicitur, quod in se non est malum, pusillis autem apparet malum, ut si feria 6. coram pusillis carnes comedas, non dicens, quod licentiam habeas, seu necessitatem. Nomine dicti, vel facti venit etiam omissio mala, aut speciem mali habens,

Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis proximi, ex occasione dicti, vel facti alterius sequens: quod si illud dictum, vel factum sit bonum, aut indifferens, & nullam speciem mali habens, scandalum, & quod sequitur, dicitur pure passivum: aut si sequatur ex debilitate, aut ignorantia, dicitur scandalum pusillorum; si vero sequatur ex malitia dicitur scandalum Pharisaicum; unde scandalum passivum dividitur in datum, quod oritur ex activo, & in acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ignorantia, aut malitia ipsius accipientis scandalum.

Quotupliciter potest quis suo malo exemplo alterum ad peccatum inducere?

Tripliciter: primo directe, & formaliter, scilicet intendendo ruinam spiritualem proximi, hoc est, ex desiderio, ut proximum patiatur damnum illud spirituale. Secundum directe, sed non formaliter, ut quando vult, quod alter v. g. violet Castitatem, non quia malum ejus est, sed quia inde lucrum aliquod sperat. Tertio indirecte, & hoc accidit, quando prævidet, quod ex sua mala actione, proximum facile occasionem accipiet committendi peccatum, sed hoc ipse non intendit Vide Dian par. 5 tract. 7. res 2. & part. 10. 11. 12. res. 19. in princ. DE

DE VI. PRÆCEPTO DECALOGI NON MÆCHABERIS.

Quid est delectatio morosa?

Est voluntaria, & deliberata complacentia mentalis in re turpi sine ordine ad opus.

Quare dicitur morosa?

Dicitur morosa non à temporis mora, quia cum consistat in actu interno potest consumari in instanti; sed ex mora rationis, & advertentiæ sufficientis, ut sit peccatum; adeoque si per longum tempus detinearis in delectatione actus pravi, v. g. copulæ, quam cogitas, sed non plene advertas ad malitiam gravem ipsius delectationis, nec plene consentias in ea detineri, non erit delectatio morosa, nec peccatum mortale.

Quid est desiderium inhonestum?

Est actus voluntatis, quo quis determinate cupit exequi actum turpem, & illicitum.

Quot sunt species contra Castitatem, seu species Luxuriæ?

Sunt septem species, scilicet, Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Incestus, Raptus, Sacrilegium, & Peccatum contra naturam.

Quid est Fornicatio?

Est copula illicita liberi cum libera in vase naturali.

Quid est stuprum?

Est defloratio puellæ Virginis per fractionem claustri Virginalis.

Quid est Adulterium?

Est copula illicita Personæ conjugatæ cum libera, vel conjugatæ cum conjugata, vel liberæ cum conjugata in vase naturali.

Quid est Incestus?

Est copula illicita inter personas consanguineas, vel affines in gradibus propinquitatis.

Quid est Raptus?

Est actio violenta, qua abducitur Puella invita à domo parentum ad finem fornicandi, vel ducendi eam in uxorem.

Quid est Sacrilegium?

Est peccatum Luxuriæ consummatum cum Persona Deo sacrata, vel cum persona libera, sed in loco sacro.

Quid est peccatum contra naturam?

Est actus libidinosus extra vas, vel extra modum à natura institutum ad generandum.

Quotuplex est?

Aliud est quod vocatur mollities, aliud inordinatus concubitus, aliud sodomia? aliud denique bestialitas.

Molities est inordinata, & voluntaria seminis effusio extra omne vas.

Inor-

Inordinatus concubitus est modus extraordinarius habendi copulam impeditivus generationis, vel effusivus seminis extra vas.

Sodomia est actus libidinosus consumatus inter masculos in vase non naturali, minus proprie etiam cum fæmina in vase non naturali.

Bestialitas est coitus Personæ humanæ cum bestiis.

Quid est concubinatus?

Est copula frequens, & illicità cum fæmina, quam quis retinet in sua potestate, veluti si esset propria uxor.

DE VII. PRÆCEPTO DECALOGI NON FURABERIS. DE FURTO.

Quid est furtum?

Est ablatio injusta rei alienæ invito Domino, occulta tamen, & sine violentia.

Quid est rapina?

Est injusta ablatio rei alienæ invito Domino palam, & cum violentia.

Quid est compensatio?

Est occulta ablatio pæcuniæ, vel rei pretio æstimabilis à suo debitore ad effectum reparandi damnum injustum, quod quis ab eo passus est.

Quot sunt conditiones requisitæ ad licitam compensationem.

Sunt

Sunt tres; certitudo justi crediti; æqualitas rei ablatæ cum damno, quod quis passus est, & gravissima difficultas obtinendi satisfactionem a suo debitore; & cavere ne ex compensatione, quæ fit, oriatur Scandalum, vel damnum alicujus innocentis.

DE RESTITUTIONE.

Quid est restitutio?

Est actus Justitiæ commutativæ, quo alicui redditur, quod ab eo injuste ablatum, vel surreptum est; vel quo compensatur damnum injuste illatum.

Quot sunt radices restitutionis?

Sunt tres; Res accepta; injusta actio seu acceptio; Damnum illatum.

Quæ causæ excusant a Restitutione?

Sunt plures 1. Impotentia physica, qua quis non habet, quid restituere: 2. Impotentia moralis, quando quis restituere non potest sine probabili periculo damni altioris Ordinis, sui, aut suorum?

Quot sunt fructus?

Alii sunt naturales, aut partus pecorum, alii industriales, ut fructus ex ludo, & mercatura: alii mixti ex industria, & natura, ut fructus vinearum.

Quid est Possessor rei alienæ?

Est qui retinet rem alienam.

Quotuplex est?

Posse-

Possessor rei alienæ duplex est, bonæ fidei, & malæ fidei.

Possessor rei alienæ bonæ fidei est ille qui retinet rem alienam credens esse suã.

Possessor rei alienæ malæ Fidei est ille, qui retinet rem alienam sciens non esse suam.

DE CONTRACTIBUS.

Quid est contractus?

EST conventio inter duos, vel plures, ultro, citroque obligans, vel saltem obligans alterutram partem?

Quid est contractus societatis?

Est conventio inter duos, vel plures ponentes certam quantitatem nummorum, quæ habet nomen sortis principalis in negotio aliquo cum obligatione dividendi fructus, & damna cum proportione ad sortes.

Quid est contractus trium contractuum?

Est contractus societatis cum assecuratione Capitalis, & cum assecuratione fructuum.

Quid est contractus Mohatra, seu stocco, reprobatum ab Innoc XI. & est Propositio 40. in suo Decreto reprobata?

Est ficta venditio, cum quis indigentis nummis, alter dat merces cum pacto ad sibi retrovendendas pretio medio, vel infimo, & ipse vendiderat summo

pretio

pretio indigenti. Unde est illicitus contractus, vel quia est mutuum tacitum, & usura palliata, vel quia additur onus injustum, vel quia minoris justo pretio retrovenditur.

Quot sunt species Contractus?

Alii sunt nominati; alii innominati.

Contractus nominati sunt illi, qui habent proprium titulum, seu nomen, & sunt plures nempe Mutuum, Commodatum, Depositum, Locatum, Emphyteusis, Feudum, Pignus, Fidejussio.

Contractus innominati sunt illi, qui proprium titulum non habent, sed explicantur his verbis: do, ut des: facio, ut facias: do, ut facias: facio, ut des.

Quid est mutuum?

Est contractus, quo rei numero, pondere, vel mensura constantis dominium, & usus a mutuante in mutuatarium usq; ad certum tempus transfertur, cum obligatione restituendi eamdem, vel similem in specie, & bonitate.

Quid est commodatum?

Est, quo usus alicujus rei alicui gratis conceditur sine translatione Dominii.

Qui usus, si precibus petentis concedatur, dicitur Precarium.

Quid est Depositum?

Depositum est, quo aliquid alteri custo-

sto-

ſtodiendum traditur ſine uſu, ſive cum pretio, ſive ſine pretio.

Quid eſt locatum?

Eſt, quo alicui traditur uſus alicujus rei ſine translatione Domini ad tempus, ſed adhibito aliquo pretio annuatim ſolvendo. Qui dictum uſum rei v. g. homus concedit, dicitur Locator: qui eum recipit, dicitur conductor.

Quid eſt Emphyteuſis?

Eſt contractus rei immobilis, cujus tantum dominium utile ſeu indirectum transfertur in accipientem, retento directo apud concedentem, cum pacto certæ penſionis proprietario annuatim ſolvendæ in recognitionem dominii directi. Qui accipit, dicitur Emphyteuta qui concedit, Proprietarius.

Quid eſt Feudum?

Eſt contractus rei immobilis, cujus tantum dominium utile, ſeu indirectum transfertur in accipientem, retento dominio directo apud concedentem, cum onere non aliquid ſolvendi, ſed exhibendi directo Dominio ſidelitatem, & obſequium perſonale.

Quid eſt Pignus?

Eſt contractus, quo alicui res traditur ob majorem crediti ſecuritatem.

Quid

Quid eſt Fidejuſſio?

Eſt contractus, quo quis ſuo periculo ſuſcipit alterius factum, aut debitum; præſtiturus ipſe, aut ſoluturus, ſi alter non faciat.

Quæ ſunt culpæ, ratione quarum habens rem alterius vel commodatam, vel locatam, vel depoſitam, quæ perit, tenetur Dominum compenſare?

Alia eſt legalis, ſeu civilis, Theologica alia.

Legalis, ſeu civilis eſt defectus cuſtodiæ etiam ſine peccato.

Theologica eſt defectus cuſtodiæ cum peccato gravi, vel levi.

Utraque dividitur in latam, & levem.

Culpa lata eſt defectus cuſtodiæ, quam ſolent adhibere homines prudentes in cuſtodiendis rebus propriis, vel alienis illorum curæ commiſſis.

Culpa levis eſt defectus cuſtodiæ, quam ſolent adhibere homines cautiſſimi in cuſtodiendis rebus propriis, vel alienis ipſorum curæ commiſſis, qui ideo dicuntur abundare in cautela.

Quotuplex eſt diligentia in cuſtodiendis rebus?

Triplex: maxima, media, & infima.

Diligentia maxima eſt cura, quam ſolent adhibere homines cautiſſimi in cuſtodiendis rebus. Dili-

Diligentia media eſt cura, quam ſolent adhibere homines prudentes.

Diligentia infima eſt cura, quam ſolet adhibere homines vulgares, ac ignavi.

Quid eſt emptio?

Eſt contractus, quo emens rem pretium ſolvit pro merce.

Quid eſt venditio?

Eſt contractus, quo vendens tradit merces pro pretio.

Quot, & quæ ſunt fraudes, quæ reddunt illicitam venditionem?

Alteratio mercis, & alteratio pretii.

Quid eſt pretium?

Eſt juſtus valor mercis in eo loco, in quo venditur.

Quotuplex eſt pretium?

Duplex eſt; aliud legitimum, naturale vero aliud.

Pretium legitimum, ſeu legale eſt valor mercis taxatus ab habente publicam authoritatem taxandi.

Pretium naturale eſt valor mercis taxatus juxta communem hominum opinionem; & hoc dividitur in ſupremum, medium, & infimum.

Quid eſt negotiatio?

Eſt emptio alicujus rei, ut eadem invariata, & immutata vel revendatur, vel permutetur cum lucro negotiantis.

Quid

Quid est cambium?

Est negotiatio consistens in commutatione, & transportatione numismatum de uno in alium locum.

Quid est permutatio?

Est mutatio alicujus rei in aliud.

Quotuplex est permutatio?

Triplex est, alia est rei pro re. 2. est pecuniæ pro rebus: 3. est numismatis pro numismate, & hæc proprie vocatur Cambiũ, si est permutatio negotiatoria, quia non omnis permutatio pecuniæ pro pecunia dicitur Cambium, sed illa tantum vere, & formaliter, quæ est cum spe lucri, nam ob id dicitur negotiatoria.

Quot sunt species Cambii, quod est permutatio negotiatoria?

Quatuor: prima dicitur Cambium per minutum, & hoc fit dando cum aliquo lucro convenienti, & sine fraude pecunias majores pro minoribus, seu minores pro majoribus, uti faciunt illi, qui aliquo lucro commutant nummum aureum in obolos, vel similia, & e converso, propter aliquod proprium suum commodum; & hoc licet.

Secunda dicitur Cambium per Litteras, ut cum quis dat in una Civitate alicui captori pecunias, quatenus obtentis ab eo Litteris captoriis illas recipiat a concaptore sibi correspondente in aliqua

alia

alia Civitate ob aliquod ibidem proprium commodum suum, cum aliquo lucro convenienti, & sine fraude, & hoc etiam licet.

Tertia dicitur Cambium reale, ut cum Captor ipse dat, & accommodat cum aliquo lucro convenienti, & sine fraude pecunias alteri ob aliquod commodum proprium ipsius recipientis, & ille alter restituit in alio loco pecuniam acceptam Concaptori, & socio ejus; & hoc pariter licet.

Quarta dicitur Cambium siccum & hæc est, quando quis Captor dat alteri pecunias Venetiis, ut easdem recipiat itidem etiam Venetiis post sex menses, non eo tamen pretio, quo dantur illi, sed quidem prout valuerint in nundinis Bergomi, vel Cremæ &c. & hoc vocatur Cambium siccum, quia non redduntur Captori in talibus nundinis, sed in eodemmet loco, ubi acceptæ fuere; & hoc si formaliter, prout sonat, fiat, est Usura palliata, & contractus illicitus, & peccatum mortale, & tenetur ad restitutionem: quoniam forte Captor non habet correspondentiam in eo loco, nec misisset pecuniam ad eum locum, in quo vult sibi pretium, & valorem Pecuniarum restitui; sed tantum hoc fecit, ut lu-

lucrum talis transmutationis assequeretur, quod idem omnino, & pariter etiam est de Cambio, & recambio sicco, & omni, & quolibet alio simili.

Quid est Cambium siccum?

Est quando quis dat mutuo suam pecuniam ad usuram sub titulo Cambii.

Quot, & quibus modis fit Cambium siccum?

Quatuor modis. Primo dando pecunias, ut reddantur valore talium nundinarum, & hoc est Usura.

Secundo, cum dantur pecuniæ, ut accipiantur in loco remoto, ob quam distantiam Captor lucratur, & forte ibi correspondentiam non habet, & hoc etiam est Usura.

Tertio, cum Cambium est compositum ex recambio sicco, & hoc habet duas Usuras.

Quarto, cum Cambium est Cambium Aulicorum, uti est in usu Romæ, & hoc est tolerabile, si recte fiat.

Quid est Census?

Est contractus venditionis, quo tradita pecunia emitur jus ad percipiendum annuum fructum super rem aliquam fructiferam securitati pecuniæ subjectam servatis conditionibus a Summis Pontificibus appositis.

Quid est Monopolium?

Est

Est mercatorum conventio, ut nemo illorum vendat rem infra tale pretium: improprie etiam est conventio emptorum, ne rem supra tale pretium emant.

Quid est præscriptio, seu usucapio?

Est adeptio dominii per continuationem possessionis toto tempore a lege definito.

Quot sunt conditiones prescriptionis legitimæ?

Est possessio continuata per totum tempus a lege præscriptum: bona fide possidentis: bonus titulus cum justa actione transferente dominium: & res possessa non prohibita a legibus præscribi.

DE USURA

Quid est Usura?

EST lucrum Rei pecunia æstimabilis principaliter proveniens ex mutuo.

Quotuplex est Usura?

Triplex, Mentalis, realis, & Palliata.

Usura mentalis est, qua quis sine ullo pacto externo mutuat cum animo determinato recipiendi lucrum ex mutuo; si quantitas, quam vult accipere, sit notabilis, est peccatum lethale, actus enim internus est ejusdem malitiæ cum externo; si autem non sit voluntatis determinatio, sed pura spes recipiendi aliquid ex gratitudine, & liberalitate

alter

alterius, nullum erit peccatum.

Usura realis est, qua cum pacto lucri quis dat mutuum, sive pactum sit expressum, sive implicitum, sufficienter tamen declarativum intentionis usurariæ v. g. si Mutuans dicit Mutuario, scis modum, quo ego soleo dare pecuniam meam non reversuram esse solam in Crumenam.

Usura palliata est, qua sub prætextu aliquo, puta donationis, venditionis, vel alterius ficti, & colorati contractus aliquid exigitur supra sortem.

Adverte quod Usura in quantitate notabili, quæ in furto sufficit ad lethale, est peccatum mortale.

Usurarius publicus absolvendus non est, nisi satisfaciat adversus quos commisit Usuram. Ita P. Rot. par. 2. c. 3. Sect. 3. n. 1.

Quo jure est probibita Usura?

Non solum jure humano, sed etiam naturali, & Divino, veteris, & novi testamenti illicitam, ac prohibitam esse Usuram tradunt communiter Doctores, & qui eam licitam pertinaciter asseruerit, censetur Hæreticus, & est communis sententia. Ita P. Oct. a S Jos. tit. 224. int. 2.

Quot

Quot, & quæ sunt causæ, quæ excusant dantem mutuo ab Usura, si accipiat aliquid supra sortem?

Sunt duæ: lucrum cessans, & damnum emergens.

Quid est Lucrum cessans?

Est emolumentum, quod quis cessat percipere præcipue ratione mutui.

Quid est damnum emergens?

Est detrimentum, quo quis patitur in bonis suis præcise ratione mutui.

Quot sunt conditiones, quæ requiruntur, ut licitum sit mutuanti aliquid sumere ultra sortem?

Conditiones sunt quatuor: Prima, ut lucrum cesset, vel damnum emergat præcise ex mutuo, non aliunde ex negligentia Domini, vel alia causa.

Secunda, quod lucrum cessans sit verum, & reale, non imaginarium, & speculativum.

Tertia, ut non sumatur tantum, quantum lucrum speratum valeret, sed detrahatur aliquid ratione expensarum, discriminum, & laborum, quæ quis subire debet in comparatione lucri.

Quarta, ut mutuans faciat pactum expressum de quantitate pretii recipiendi pro lucro cessante, & damno emergente,

Quid est Eleemosina?

EST opus ex misericordia proveniens, quo indigentiæ alicujus subvenitur.

Quotuplex est necessitas?

Triplex: extrema, gravis, & communis.

Quæ est necessitas extrema?

Est ea, in qua quis positus est in probabili periculo gravis infirmitatis, aut mortis, nisi subveniatur. Ad hanc reducitur necessitas quasi extrema, & est illa, quæ est proxima præfato periculo, in quantum est ita urgentissima, ut si quis non subveniatur, constituitur in recensito periculo.

Quid est necessitas gravis?

Est illa, in qua quis positus talia patitur incommoda, quæ ei vitam reddunt nimis molestam, & miseram.

Quid est necessitas communis?

Est illa, in qua quis positus incommoda patitur, sed non talia quæ reddant ei vitam nimis molestam, & miseram, juxta patientis statum, & conditionem. Talis regulariter est necessitas mendicorum, qui hinc subveniuntur.

Quotuplex est bonum superfluum?

Aliud est superfluum statui, aliud est superfluum naturæ.

Bonum ſuperfluum ſtatui eſt id, quod ſupereſt demptis neceſſariis expenſis pro decentia ſervitutis, & ornamentorum juxta conditionem cujuscumque.

Bonum ſuperfluum naturæ eſt id, quod ſupereſt demptis expenſis neceſſarii ad vitam propriam, & propriæ familiæ ſuſtentandam.

Quotuplex eſt eleemoſyna ſufficiens?

Alia eſt ſufficiens ex parte recipientis alia, eſt ſufficiens ex parte dantis.

Eleemoſina ſufficiens ex parte recipientis eſt illa, que aufert a recipiente omnem præſentem neceſſitatem, & anguſtiam.

Eleemoſyna ſufficiens ex parte dantis eſt illa, qua dans parum habens tantum donat, quantum patitur ejus præſens conditio.

Quot ſunt eff. ctus eleemoſynæ?

Sunt ſeptem: Primus eſt augmentario temporalium.

Secundus eſt remiſſio peccatorum.

Tertius eſt augmentatio, & collatio gratiæ.

Quartus eſt, quod homini apud Deum multos interceſſores, & amicos acquirit, ſcilicet ipſos pauperes; dato, quod pauperes mali eſſent, & peccatores, adhuc ipſa eleemoſyna orat ad Deum. Ecll. c.29

Quintus eſt, quod homini præparat viam ad Cælum, & patefacit ei oſtium Paradiſi. Eccl. 15.

Sextus eſt, quod hominem ad bonum finem perducit, & comitatur morientem, cum omnes amici ejus deſerunt.

Septimus tandem eſt, quod præmium æternum acquirit.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

Quid eſt Correctio Fraterna?

EST admonitio ex virtute charitatis procedens, qua quis conatur proximum revocare a peccato, in quod lapſus eſt.

Quale eſt Præceptum correctionis fraternæ?

Naturale in primis; conſtat Eccl. 17. unicuique mandavit Deus de proximo ſuo: nam ſi juxta illud Deus jubet Deut. 22. reducere ovem, aut bovem proximi errantem, multo magis eodem naturali jure præcipimur ipſum errantem proximum ab errore revocare. Enim vero teſte Philoſopho 9. Et hic quanto mores præſtant pecuniis, tanto majus auxilium ferendũ in moribus, quam in divitiis. eſt etiam præceptum poſitivum Divinũ latum a Chriſto Domino Matth. 8. *Corripe eum*; & ideo illud vocat Innoc. ca p.

novit

novit de judic. præceptum Dominicum, & cap. ex juncto de Hæret. regulam Evangelicam: promulgatum fuit a D. Paulo 1. Thessalon. 5. & ad Gal. 6. *Si Frater præoccupatus fuerit &c. Corripite inquietos.* Fern. part. 1. cap. 3. §. 3. numer. 1.

Quot conditiones requiruntur ad faciendam correctionem fraternam.

Quatuor: Prima peccati cognitio, hæc vero debet esse moraliter certa. Probatur ex verbis Christi; si peccaverit in te frater tuus, hoc est, coram te: alioquin magna irrogaretur proximo injuria, si innocens esset: si tamen peccatum esset gravissimum, aut cederet in damnũ commune, licet ex probabilibus solum conjecturis erueretur, licite posset corrigi a Prælato, quia Pastor tenetur de gregis damno etiam dubio providere. Nunquam tamen satis ex habita notitia ex confessione, quia gravissima sacramento fieret offensio.

Secunda conditio est spes emendæ, ut ait D. Paulus 1. Corin. 9 debet, qui arat, in spe arare: si enim nulla sit spes: nolite, inquit Christus Matth. 7. dare sanctum canibus, ut Gloss. locum interpretatur.

Tertia conditio est opportunitas temporis:

poris: Proverb. 15. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

Quarta conditio est commoditas corrigentis, ut scilicet corrigens possit absque suo damno corrigere Ut magis hoc innotescat, dico primo præceptum Correctionis obligare sub mortali etiam privatas personas cum periculo cujusvis detrimenti corporalis, etiam vitæ, quando proximus ea indiget extreme, aut gravissima est necessitas Communitatis; v. g. si Hæresis in populo disseminetur, aut periclitetur graviter religio Christiana: juxta illud 1. Joan. 3. Debemus pro fratribus animas ponere.

Secundo sub mortali tenetur quis gravi proximorum necessitati per fraternam correctionem subvenire cum aliquantulo corporali detrimento, quoniam juxta ordinem Charitatis bona proximi spiritualia nostris temporalibus præferre jubemur.

Tertio Prælati spirituales, ut Episcopi, Parochi, aliique ex officio animarum curam gerentes gravibus subditorum necessitatibus per hanc correctionem opitulari tenentur, cum quolibet temporalium bonorum, vitæ quoque periculo. Claret ex Joan. 10. Bonus Pastor animam

ſuam ponit pro ovibus ſuis. Ita Fern. par. 1. cap. 3. §. 3. num 6. 12. 14. & 17.

Qui obligantur ad hanc Correctionem?

Præcipue Prælati Eccleſiaſtici. Ita definitur cap. Quamvis de reg. jur. Quia vero quivis Prælatus duplicem perſonam agit, unam, ut particularis eſt, alteram, ut perſona communis, triplici correctione pollet: Fraterna, ut frater, ac alii ſubditi: Judiciali, ut errorum vindex, quoad externum Forum: Paterna, ut pater quoad forum internum. Ita Fern. par. 1. cap. 3. §. 3. num. 18.

Poteſt inferior fraterne corrigere ſeniorem, ſeu Prælatum?

Poteſt, & tenetur ſecreto, modeſte, & reverenter Ita definitur cap. ſicut 2. q. 7. ubi ſic D. Gregorius: ſicut laudabile eſt, & diſcretum reverentiam, & honorem præbere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris, ſi quæ in eis ſunt, quæ correctione egeant, nulla diſſimulatione poſtponere. Idem loc. cit. n. 19.

Quis ordo eſt ſervandus in fraterna correctione?

Quem docuit Chriſtus Dominus Matt. 18. ſi peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duo-

rum

rum, vel trium teſtium ſtet omne verbum, quod ſi non audierit dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.

Quod peccatum committit, qui non facit correctionem fraternam?

Ex genere ſuo eſt mortale. Ita definitur c. Conſentientis d. 38, cap. Facientis d. 88., & prob. ratione. Quoniam ſub mortali tenemur ſuccurrere proximo extreme indigenti, aut graviter corporaliter indigenti, ergo multo magis indigenti ſpiritualiter. Nam, ut inquit Greg. hom. in Evangelium, plus eſt mentem in æternum victura pabulo verbi reficere, quam ventrem periturǽ carnis terreno pane ſaturare.

DE VIII. PRÆCEPTO DECALOGI. NON FERES FALSUM TESTIMONIUM. DE MENDACIO.

Quid eſt Mendacium?

ESt verbum prolatum cum intentione fallendi, & decipiendi audientem, qui exiſtimat verum id, quod dicitur.

Quotuplex eſt?

Mendacium triplex eſt: Jocoſum, Pernicioſum, & Officioſum.

Mendacium jocoſum eſt verbum di-

ctum cum intentione fallendi audientem ob motivum delectationis, & lusus.

Mendacium perniciosum est verbum dictum cum intentione fallendi audientem, & cum fine proximum damnificandi.

Mendacium officiosum est loqutio contra mentem, causa utilitatis propriæ, vel alienæ.

DE DETRACTIONE.

Quid est Detractio?

Est injusta ablatio Famæ alterius absentis, apponendo ei crimen falsum vel occultum verum revelando.

Quid est Contumelia?

Est injusta ablatio famæ alterius præsentis.

Quot sunt modi detrahendi?

Sunt octo; quatuor, quæ versantur circa bonum, & quatuor circa malum.

Modi detrahendi, qui versantur circa bonum continentur in hoc carmine.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse.

Qui sic sunt intelligendi.

Jlle dicitur negare, qui virtutem alterius, ex qua famam apud alios habet, coram illis negat.

Jlle minuit, qui licet non neget, tamen

men minorem, quam ſit, ſuis verbis, aut ſignis facit.

Jlle autem tacendo detrahit, qui cum de fama alicujus periculum eſt, cui poteſt ipſe ſubvenire, nihil dicit, vel quia aliis laudantibus aliquem ipſe tacet, in quo dat intelligere ſe aliorum laudi non conſentire.

Jlle laudat remiſſe, qui quod magna laude dignum eſt, parum laudat, aut verbo, aut geſto, vel ſigno, & hic modus ad ſecundum reducitur.

Modi vero detrahendi, qui verſantur circa malum, in hoc alio continentur carmine.

Imponens, Augens, manifeſtans, in mala vertens.

Qui ſic explicantur.

Imponens dicitur, qui infamat alterum imponendo crimen, & vitium, quod non habet, & hic eſt peſſimus detractionis modus,

Augens eſt, qui alterius crimen verum narrando, ipſum auget amplificando, & exaggerando, ut majus appareat.

Manifeſtans dicitur, qui crimen occultum alicujus propalat, & manifeſtat aliis illius famam auferre intendendo.

In mala vertens dicitur, qui bona facta alterius in malam partem interpretatur

tatur coram aliis illius famam minuendo. Jlle dicitur in malum convertere bona alicuius, qui, quod ex se bonum est, levi ratione motus & absque causa rationabili, ut malum judicat, quia possunt etiam ipsa male fieri. Ita Tolet. lib. 5. cap. 64. de Detractione n. 3. & 4.

Quot, & quæ conditiones requiruntur, ut detur obligatio restituendi famam?

Tres requiruntur conditiones: Prima ut fama a parte rei læsa sit: secunda ut læsa sit contra justitiam: Tertia ut aliunde non sit adhuc recuperata. Ita recentiores.

Quid est murmuratio?

Est confabulatio de factis publicis, quæ possent in bonam partem sumi, vertendo ea in malam partem, & exaggerando rem ultra meritum causæ.

DE JUDICIO TEMERARIO, ET SUSPICIONE.

Quid est Judicium temerarium?

Est assensus firmus sine ulla hæsitatione de culpa proximi fundatus in conjecturis levibus & frivolis.

Ad hoc ut judicium temerarium sit mortale, quot, & quæ conditiones requiruntur?

Quatuor requiruntur conditiones: Prima ut sit in materia gravi. Gravitas autem,

tem, & levitas attendi debet vel ex ipſa ſubſtantia materiæ, vel ex qualitate perſonæ.

Secunda, ut judicium formetur tanquam moraliter certum. Hinc ſuſpicio, dubitatio, aut opinio temeraria non eſt mortalis, ſed venialis, quia cum ſint actus imperfecti in genere judicii, nec totaliter tollant poſſeſſionem bonæ famæ, non cenſetur gravis injuria, niſi aliis manifeſtes.

Tertia, ut judicium ſit ex levibus conjecturis; nam ſi ſit ex gravibus, & ſufficientibus, judicium erit prudens, quod prudentiæ diſcernendum relinquitur.

Quarta tandem eſt, ut judicium ſit plene deliberatum, hoc eſt cum plena advertentia temeritatis, & malitiæ gravis, & cum plena voluntatis libertate.

Quid eſt ſuſpicio?

Eſt opinio mali orta ex levibus indiciis ſine aſſenſu firmo, ſed cum formidine oppoſiti.

Quid eſt Deriſio?

Eſt dehonoratio proximi per verba, vel geſtus, cum intentione confundendi.

DE SUSURATIONE.

Quid eſt Suſuratio?

Eſt peccatum linguæ recenſentis defectus proximi ad excitandas rixas, & querelas inter amicos.

DE

DE IX. PRÆCEPTO DECALOGI. NON CONCUPISCES REM ALIENAM.

Quid prohibetur in hoc præcepto?

OMnis ſpecies avaritiæ. Eſt autem avaritia appetitus divitiarum voluntarie inordinatus. Tres autem virtutes offendit hujusmodi appetitus Offendit juſtitiam, cum appetit poſſidere, vel retinere aliena injuſto modo; nempe per vim, fraudem, ac dolum. Offendit liberalitatem, cum denegat, quæ tenetur erogare; tenetur autem ex hac virtute ad eroganda ſuperflua. Offendit Charitatem, quando ſic erga divitias affectus eſt, ut eas præferat neceſſitati proximorum.

DE X. PRÆCEPTO DECALOGI. NON CONCUPISCES ALIENAM MULIEREM.

DE hoc præcepto, quidquid dici poterat, dictum eſt ad 6. præceptum: propterea interrogationibus repetendis ſuperſedeo.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Quot ſunt præcepta Eccleſiæ?

SUnt quinque, nempe: Primum; ſacrum Miſſæ ſacrificium audire, & ei intereſſe omnibus diebus Feſtis de præcepto.

Secundum: Jejunare diebus ab Ecclesia institutis, & carnes non manducare in Quadragesima, nec in diebus quatuor temporum, nec Feria 6. & Sabbato, nec omnibus Vigiliis de Ecclesiæ præcepto.

Tertium: sacramentaliter confiteri, & communicare semel in anno, saltem in diebus ab Ecclesia præscriptis.

Quartum: nuptias non celebrare diebus vetitis, scilicet a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam, & à Feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive.

Quintum: Decimas solvere Ecclesiæ.

DE PRIMO PRÆCEPTO ECCLESIÆ AUDIRE MISSAM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRÆCEPTO.

Quid præcipitur in hoc præcepto?

PRæcipitur, quod Fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, qui regulariter post septennium expletum presumitur, tenentur sub mortali audire sacrum diebus Dominicis, & Festis de præcepto.

Quid est audire sacrum?

Per auditionem sacri intelligitur actio, qua quis sacrificio est præsens, eique assistit modo humano, corpore videlicet, & mente, & in tali distantia, ut

possit Sacerdotem videre, ejusque ministerium, & actiones attendere.

Quod, & quæ requiruntur ad satisfaciendum huic præcepto?

Quatuor requiruntur: nempe

Primo præsentia Moralis.

Secundo Intentio.

Tertio Attentio:

Quarto integritas.

Quæ causæ excusant ab auditione Missæ?

Primo excusat ab audientione Missæ impotentia physica: hinc excusatur Infirmus, aut detentus in carcere.

Secundo impotentia moralis, seu gravis difficultas: hinc excusatur, qui prudenter grave damnum sibi, aut aliis timet, si exeat: qui gravem difficultatem habet, ob notabilem distantiam ab Ecclésia, & pluviam. Gravida, si graviditas sit periculosa. Mater, si non habeat cui relinquere Infantulum, nec possit secum ducere, quia alias solus domi pati posset periculum. Persona, quæ habet infirmos domi, qui possent pati periculum, & non habeat cui relinquere. Qui debet gravia negotia expedire, quæ commode differre non potest. Qui iter agens, sacrum audire non potest, nisi amittat socios, sine quibus prudenter timet Latronum periculum,

aut

aut aliud malum. Mulier honesta, quæ caret habitu honesto; quia non obligatur accedere cum gravi sua confusione, curare tamen debet, ut accedat valde mane, quando Populi concursus esse non solet, si id sine gravi incommodo, aut confusione facere potest.

Tertio Officiosum. Hinc excusantur milites, qui Castrum, aut Portas Civitatis custodiunt, si sine periculo suo muneri deesse non possunt. Pastores ovium, & Armentorum, & similes, si ex absentia periculum timent; quod quidem regulariter contingit; qui tamen, si sint plures, curare debent, ut relictis uno, aut pluribus, quot sufficiunt ad custodiam, accedant alii ad sacrum; & sic faciant ad invicem, vel diversis horis ejusdem diei, vel diversis Festis, juxta loci propinquitatem, aut distantiam.

Quarto Consvetudo. Hinc excusantur mulieres, si ex consuetudine Patriæ egredi non soleant tempore luctus, aut post partum, per dies Purificationis, dummodo non exeant ob alias causas. Consuetudo mulierum, ubi est, manendi primo anno viduitatis domi, ita ut neque diebus Festis exeant ad audiendam Missam, & ab Episcopis, uti irrationabilis, & exorbitans, extirpanda.

Quinto

Quinto Censura. Hinc qui est ligatus excommunicatione majori, aut interdicto nec tenetur, nec potest sine mortali Missam audire.

Sexto Inadvertentia, quia inadvertentia, aut oblivio æquivalet ignorantiæ invincibili, adeoque excusat a culpa.

DE II. ECCLESIÆ PRÆCEPTO. JEJUNARE IN QUADRAGESIMA, &c.

Quid est Jejunium?

Est abstinentia a cibo, ac potu.

Quotuplex est?

Jejunium triplex est, Naturale, Ecclesiasticum, & Morale.

Jejunium naturale est illud, quod dicit præcisam negationem sumptionis cibi, ac potus, & dicitur Jejunium Jejunii.

Jejunium Ecclesiasticum est abstinentia à cibo per modum cibi, non a potu, neque a medicamentis, neque a cibo per modum medicinæ, sed a cibo per modum nutritionis, juxta Ecclesiæ ritum.

Jejunium morale est illud, quo a peccatis anima jejunat.

Qui excusantur a Jejunio?

Primo Juvenes, qui 21. ætatis annum non compleverunt, quia ratione incrementi maiori indigent alimento.

Se-

Secundo excusantur sexagenarii incæpto anno sexagesimo, licet appareant robusti, quia tunc in re vires declinant, quoniam senectus ipsa est morbus. Tenentur vero abstinere a carnibus.

Tertio excusantur pauperes, qui non habent sufficientem cibum pro justa refectione, vel qui alium cibum non habent, nisi vetitum, nempe carnes, aut ova, quia benigna mater Ecclesia non intendit tota die ad panem, & aquam, & pauca legumina illos adstringere, aut alimentum viribus sustentandis necessarium subtrahere. Arsdekin ex Diana.

Quarto excusantur infirmi, convalescentes, prægnantes, Lactantes, & alii, qui ad necessarias vires moiori indigent alimento. Qui ex stomachi vacuitate patiuntur capitis dolorem, aut vertiginem. Item, qui nocte dormire, aut calefieri nequeunt, qui tamen si possunt, tenentur, incommodo obviare, faciendo collationem mane, & comestionem vespere. Ita Arsdekin.

Qua ratione Jejunii obligatio cessat?

Tribus rationibus, primo in operibus misericordiæ corporalis, vel spiritualis, ut infirmarii, concionatores &c.

Secundo in operibus justitiæ v. g. si

ma-

maritus jejunans uxori conjugii debitum reddere non possit, & in continentiæ periculum subituram intelligat.

Tertio in operibus charitatis, ut si uxor mariti iram, & contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cænet, modo jejunium non prohibeat ex religionis contemptu, sed ob aliam causam: Ratio horum omnium est, quia jejunium ab Ecclesia indictum majoris alicujus boni esse impediens non oportet.

Quot requiruntur ad Jejunium?

Quinque: Primum est, quod jejunans ante prandium non debet comedere, nec bibere.

Secundum est, quod jejunans non debet prævenire tempus, vel horam prandii debitam.

Tertium est, quod jejunans post prandium non debet comedere.

Quartum est, quod jejunans illud, quod subtrahit sibi in cibo, & potu, debet dare Pauperibus, & hoc est de consilio.

Quintum est, quod jejunans debet pænitere de suis peccatis, & sic jejunare, & offerre Deo, & hoc etiam est de consilio.

DE

DE III. ECCLESIÆ PRÆCEPTO. CONFITERI SEMEL SALTEM IN ANNO, ET COMMUNICARE IN PASCHATE.

DE CONFESSIONE.

Quos obligat hoc Præceptum?

QUoslibet Fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, sub mortali confiteri obligat semel saltem in anno: sufficit, si confiteatur in Paschate: quod si tunc non faciat, debet postea, ut verum sit, quod confiteatur semel in anno.

Item tenetur quis præcepto Divino confiteri 1. in articulo, aut periculo probabili mortis, 2. si prævideat postea non habiturum copiam Confessarii: 3. si sit in mortali, & velit communicare.

Quid intelligitur nomine Anni?

Nomine anni per Brancatum, & de Lugo venit annus naturalis, computandus a Januario. Per Bonaccinam, & Mastrium venit annus Ecclesiasticus, ab uno Paschate ad aliud.

Hoc præceptum Confessionis estne latum ab Ecclesia quoad substantiam, an quoad determinationem temporis?

Quoad solam temporis determinationem nam quo ad substantiam est Præceptum

ptum Divinum. Ita Fern. par. 2, cap. 8. §. 3. num. 3., & alii.

Obligatne hoc præceptum omnes, qui habent quodvis peccatum?

Minime, sed eos, qui habent peccatum mortale, nondum Confessum. Colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & est communis Theologorum.

Quo ætatis anno obligat hoc præceptum?

Non potest in hoc præcepto certa ætas assignari, cum in ea incipiat hoc præceptum obligare, in qua quis incipit peccare mortaliter. Obligatur ergo quis tunc, cum habet Conscientiam peccati mortalis. Hæc est communis doctrina. Fern. par. 2. c. 8. §. num. 5., & alii.

Qua anni parte obligat hoc præceptum?

Aliqui dixerunt obligare tempore Quadragesimæ. Ita Pet. Sot. lect. 5. de Confess., quam obligationem licet textus expressus non imposuerit, obtinuit tamen consuetudo, & usus Fidelium, ut notavit Medina c. de Pænit. q. 18. in 2. par. illius, & eum usum approbavit Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Alii dixerunt non obligare pro certa anni parte, sed satisfieri huic præcepro quavis Confessione facta per annum. Ita Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. Can. re-

lect. de pæn. Videatur Fern. par. 2. cap. 8. ℣. 3. num. 6.

Per quam Confessionem impletur hoc præceptum annuæ Confessionis?

Primo, impletur per eam, per quam fit verum Sacramentum. Ita Theologi in 4. dist 17. Secundo non satisfit huic præcepto per Confessionem neganda peccata, vel quando solum externe confitetur suam malam vitam, nullum tamen habet propositũ emendandæ, quales sunt prostitutæ meretrices, usurarii publici, & alii pecatores impænitentes. Tertio non satisfit huic præcepto per externam Confessionem, si ex aliquo, licet justo eventu, sacramentum non fuit confectum. Ita Doctor Suar. to. de pæn. Ideo hi Auctores exponendi sunt quoad evitandas pænas externas impositas ab Ecclesia non confessis. Ita Fern. part. 1. cap. 8 §. 3. num. 12. & alii.

Quæ Ecclesiastica pæna imposita est transgressoribus hujus præcepti?

In jure communi nulla est certa pæna imposita, sed solum imponenda. Ita c. omnis utriusque. Arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & careant Ecclesiastica sepultura: quæ pene requirunt ferendam Judicis sententiam, juxta cujus juris tenorem recte dixit Cano. de pæn.

p. 5. fol. 122. requiri ad hanc pænam, manifestationem transgressionis. In synodalibus tamen constitutionibus apponitur pæna excommunicationis ipso facto incurrenda transgressoribus hujus præcepti. Quoniam vero hæc pæna non requirit probationem, incuritur etiam si crimen sit occultissimum. Unde constat quam falso opinatus sit Durand. in 4. d. 17. qu. 14. Ecclesiam non posse punire hoc crimen contra sensum omnium Catholicorum doctorum. Idem loc. cit. num. 13.

Ex quibus signis potest colligi pervenisse jam quemvis ad annos discretionis?

Cum puer ob male factum verecundatur, & interrogatus, an liceat innocentem interficere, alienos invadere, superiori male dicere, & alia hujusmodi, negative respondet, & interrogatus an bonum sit esurienti panem porrigerre, adire Ecclesias, affirmative respondet. Ita Nav. c. 11. num. 33.

Ubi continetur hoc præceptum.

Continetur in can. omnis utriusque de pænit. & remiss.

DE COMMUNIONE.

Quotuplex est Communio?

DUplex spiritualis, & sacramentalis

Quid est Communio spiritualis?

Est

Est quæ fit per votum, & desiderium efficax Eucharistiam suscipiendi. Seu ex D. Bonaven. in 4. d. 9. q. 2. Communio spiritualis est manducatio spiritualis Eucharistiæ, quæ fit ore cordis per recogitationem fidei, & affectionem charitatis.

Quid est Communio sacramentalis?

Est quæ fit per realem Eucharistiæ sumptionem. Seu ex D. Bonavent. loc. citat. Communio sacramentalis est manducatio corporalis Eucharistiæ, quæ fit ore corporis.

Qui facit Communionem spiritualem debet esse in gratia, saltem per contritionem; nam desiderare efficaciter communicare in statu peccati mortalis, est mortale.

Ad quid tenentur fideles hoc præcepto?

Hoc præcepto Ecclesiastico quilibet fidelis sub mortali tenetur ab anno saltem pubertatis Eucharistiam semel sumere in Paschate a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive in sua Parochia, aut in Cathedrali.

DE IV. ECCLESIÆ PRÆCEPTO NON CELEBRARE NUPTIAS TEMPORIBUS PROHIBITIS.

NUptiæ, seu matrimonia, ex Trid. Sess. 24. c. 10. prohibentur fieri

ab Adventu usque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive. Dictis autem temporibus solum prohibentur solemnitates Nuptiarum, adeoque possunt in illis sponsalia, ac matrimonia sine solemnitate celebrari, non tamen sine licentia Ordinarii. Item possunt in illis Matrimonia antea contracta consummari; solum namque est prohibita solemnitas, & publica Benedictio in Ecclesia. Mastr. disp. 20. q. 5. n. 119. Bonac. & alii, Clericatum cap. 112.

DE V. ECCLESIÆ PRÆCEPTO. SOLVERE DECIMAS ECCLESIÆ.

Quid sunt Decimæ?

EST aliqua quantitas bonorum temporalium debita Ecclesiæ Ministris in ipsorum subsidium, & sustentationem.

Unde habuit occasionem Sancta Mater Ecclesia ad præcipiendas Decimas?

Ex præcepto Divino judiciali, imposito Populo scriptæ legis, in sustentationem Ministrorum Templi, qui agriculturæ vacare non poterant. Levit. 23.

Sub cujus culpæ reatu obligat hoc præceptum?

Sub mortali, secundum omnes Doctores, ubi consuetudo est, ut Decimæ solvantur.

 Quot

Quot sunt species Decimarum?

Tres: quædam sunt Prædiales, quæ solvuntur ex terræ fructibus, ut pote oleo, frumento, vino & aliis ejusmodi. Quædam sunt personales quæ solvuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria, ut ex venatione, negotiatione, & aliis actibus. Quædam demum sunt mixtæ, quæ quidem partem ex uno, partem ex altero habent: quales sunt Decimæ, quæ solvuntur ex fœto animalium, quæ animalia indigent industria humana.

Debenturne Decimæ Ministris Ecclesiasticis ex solo jure humano?

Decimæ quoad quotam, ita vocant, id est quoad certam, & determinatam partem debentur ex solo jure Ecclesiæ, quæ sua lege certam proportionem, & partem suis Ministris assignavit. At vero quo ad congruam sustentationem debentur ex ipso jure naturali, circa quod dignus est Operarius mercede sua. Lucæ 10. Ita Fern. par cap. 15. §. n. 6.

Quæ Bona promittit Deus iis, qui recte decimant?

Magna quidem, nam Malachiæ c. 3. ita inquit. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit Dominus,

non aperuero vobis Cataractas Cæli, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Ecclesiastici vero cap. 35. ita inquit: non minuas primitias manuum tuarum, in exultatione Sanctifica decimas tuas: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Quot, & quæ sunt Virtutes Cardinales?

SUnt quatuor, nempe Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

Quare dicuntur Cardinales?

Quia ad modum Cardinis claudendo ostium Diabolo, & aperiendo Christo, defert nos ad Deum, relinquendo malum, & conservando bonum.

DE PRUDENTIA.

Quid est Prudentia?

EST Virtus, quæ docet quid sit fugiendum, quidve eligendum secundum rectam rationem.

Quot sunt partes Prudentiæ?

Secundum Tull. in Reth. sunt tres; scilicet memoria, intelligentia, & providentia.

Memoria est per quam animus aspicit ea, quæ fuerunt.

Intelligentia est per quam perspicit ea, quæ sunt.

Providentia est per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit.

Quot sunt species Prudentiæ?

Sunt quatuor, scilicet Providentia, Circumspectio, Cautio, & Docilitas.

Providentia est præsens notio futurorum pertractus eventum.

Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela.

Cautio est discernere a virtutibus vitia, virtutum speciem præseferentia.

Docilitas est Prudentia erudiendi imperitos.

In quo consistit Prudentia?

Consistit in hoc, quod quisque sciat invenire medium secundum rectam rationem in his, quæ sunt ab homine facienda, ut videlicet quis sciat seipsum, & alios regere. Unde Prudentia perficit intellectum ad dirigendum totam vitam humanam.

DE JUSTITIA.

Quid est Justitia?

Est habitus animi communi utilitate servata suam unicuique tribuens dignitatem. Item secundum Macrobium

Justitia est unicuique servare, quod suum est.

Quot sunt partes Justitiæ?

Sunt sex, scilicet Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Observantia, & Veritas.

Religio est virtus, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam, cæremoniamque affert.

Pietas est virtus, per quam sanguine conjunctis, Patriæque benevolis officium, & diligens tribuitur cultus.

Gratia est virtus, in qua amicitiarum, & beneficiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur.

Vindicatio est virtus, per quam vis, aut injuria, & omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur.

Observantia est virtus, per quam homines in aliqua dignitate constitutos cultu quodam, & honore dignantur.

Quot sunt species Justitiæ?

Sunt sex, scilicet Severitas, Æquitas, Veritas, Obedientia, Liberalitas, & Benignitas.

Severitas est virtus debito supplicio coercens injuriam.

Æquitas est justitia dulciore misericordia rigoriosa temperans.

Veritas est virtus, per quam immutata ea, quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicitur.

Obedientia est virtus, quæ legitima superiorum præcepta exequitur.

Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix.

Benignitas est virtus ad benefaciendum exposita, sua cunctos invitans dulcedine.

Quot sunt species benignitatis?

Sunt novem, nempe: Religio, Pietas, Innocentia, Humanitas, Misericordia, Gratia, Reverentia, Concordia, & Amicitia.

Religio est virtus Divinitatis curam gerens, cæremoniasque offerens.

Pietas est virtus, per quam sanguine conjunctis, & patriæ benevolis officium, & diligens attribuitur cultus.

Innocentia est virtus omnem injuriæ illationem abhorrens.

Humanitas est virtus, qua miserationis affectu nos invicem tuemur.

Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur.

Gratia est virtus, qua amicitiarum, & beneficiorum alterius memoriæ remunerandi voluntate continetur.

Re-

Reverentia est virtus personis gravibus, vel aliqua dignitate, seu prælatione sublimitatis debitæ honorificationis cultum exhibens.

Concordia est virtus concives, & compatriotas in eodem jure spontanee nectens.

Amicitia est voluntas bona erga aliquem causa illius tantum, qui diligitur.

In quo consistit Justitia?

Consistit in hoc, quod servetur æqualitas inter homines communicantes ad invicem, quantum ad res exteriores, quibus utuntur. Unde justitia perficit voluntatem ad reddendum unicuique, quod suum est.

DE TEMPERANTIA.

Quid est Temperantia?

EST rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Secundum Matth. c. 15. Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant.

Quot sunt partes Temperantiæ?

Sunt tres, scilicet Continentia, Clementia, & Modestia.

Continentia, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

Clementia est virtus, per quam ani-

mus in odium alicujus temere concitatus benignitate remittitur.

Modestia est, per quam pudor honestatis puram, & stabilem comparat authoritatem.

Quot sunt species Temperantiæ?

Sunt octo, scilicet Modestia, Verecundia, Abstinentia, Moderantia, Honestas, Parcitas, Sobrietas, & Pudicitia.

Modestia est quæ facit vultum, & motum, & omnem naturalem occupationem ultra defectum, & citra excessum sistere.

Verecundia est in gestu, & verbo servare honestatem.

Abstinentia est statutum tempus cibandi non prævenire.

Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare.

Honestas est nec lautiores cibos quærere, nec in apparatu operam dare.

Parcitas est mensuram refectionis non excedere.

Sobrietas est excessum in potu cohibere.

Pudicitia est moderamine rationis petulantiam domare.

In quo consistit Temperantia?

Consistit in repressione passionum brutalium, & præcipue in moderatione de-

le-

lectationum, tactus, & gustus, idest Venereorum, & Cibariorum. Unde Temperantia perficit concupiscentiam ad refrænandas, & regulandas passiones spiritus.

DE FORTITUDINE.

Quid est fortitudo?

EST firmitas animi contra molestias sæculi.

Quot sunt partes fortitudinis?

Sunt quatuor, nempe: Magnificentia, Fidentia, Patientia, & Perseverantia.

Magnificentia est rerum magnarum, & excelsarum cum anima ampla quadam splendissima propositione, ac cogitatione administratio.

Fidentia est virtus per quam magnis, & honestis rebus multum ipse animus se in fiducia collocavit.

Patientia est contumeliarum, & omnis adversitatis voluntaria, ac diuturna perpessio.

Perseverantia est cum ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio.

Quot sunt species Fortitudinis?

Sunt sex, scilicet Magnanimitas Magnificentia, Fiducia, Securitas, Patientia, & Constantia.

Magnanimitas est difficilium rerum

ſpontanea, & rationabilis aggreſſio.

Magnificentia eſt difficilium, atque præclarorum operum conſumatio.

Fiducia eſt certa ſpes animi perducendi ad finem inchoatam rem.

Securitas eſt incommoditates imminentes, vel affines rei inchoatæ non formidare.

Patientia eſt injuriarum, atque contumeliarum, & omnis adverſitatis impetus æquanimiter portans.

Conſtantia eſt ſtabilitas animi firmi in propoſito perſeverans.

In quo conſiſtit Fortitudo?

Conſiſtit in hoc, quod mens hominis ſit firma ad toleranda adverſa, & nec reſiliat ab eo, quod ratio dictaverit faciendum propter aliquod difficile, quod incumbat.

Unde fortitudo perficit iraſcibilem circa difficilia aggredienda vel ſuſtinenda, maxime circa pericula mortis.

DE OPERIBUS MISERICORDIÆ

Quot ſunt opera Miſericordiæ?

QUatuordecim: ſeptem corporalia; ſeptem ſpiritualia: corporalia continentur hoc verſu.

Viſito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Quæ ſic explicantur.

Esurientem pasco; sitientem poto; captivum redimo; nudum operio; peregrinum hospitor; ægrotum visito; mortuum sepelio.

Spiritualia vero continentur illo versu

Consule, castiga, remitte, solare, fer, ora.

Quæ sic sunt intelligenda.

Ignorantem doce; Errantem corrige; Offensam remitte; Tristem solare; Onerosum porta; Ora pro Vivis, & Defunctis.

Laus, Honor, Gloria Deo, & B. Mariæ semper Virgini, ac Sanctis Omnibus.

INDEX

Eorum, quæ in hoc continentur Opuſculo.

DE CONFESSARIO.

Quid

De Sollicitatione.

De Sacramentis in genere.

Quid

Quot-

Quot-

Quid-

De-

De Gula.

De Ira.

De Accidia.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

De Peccatis excitantibus, & Provocantibus Deum ad Vindictam

Quot

Quo-

De

Quot

De

De VI. Dacalogi Præcepto.

Non Mæchaberis.

De VII. Decalogi Præcepto.

Non furaberis.

De Furto.

De Restitutione.

De Contractibus.

Quo-

De Usura.

De Eleemosina.

mor-

Quot

De III. Ecclesiæ Præcepto
Confiteri saltem semel in Anno,
& communicare in Paschate.

De Confessione.

De Communione.

De IV. Ecclesiæ Præcepto.
Non celebrare Nuptias Temporibus prohibitis.

De

De V. Ecclesiæ Præcepto.

Solvere Decimas Ecclesiæ.

De virtutibus Cardinalibus.

De Prudentia.

De Justitia.

De Temperantia.

In

FINIS.

REIMPRIMATUR

JOANNES FRANCISCUS Suryłło ZAŁUKOWSKI Ca-Canonicus, & Judex Surrogatus Kijoviensis.

mpp.

